


G 2
1469

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN: LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Hh. 6.



ΕΥΠΑΙΔΕΥΣΙΑ SCHOLASTICA.

FORMA ET RATIO
INSTITUTIONIS SCHO-
LASTICAE EX D. J. STURMII, AC P.
Rami præcipue scriptis collecta, & primo generatim deli-
neata; deinde Scholæ Bentheimiæ, quæ est Steinfurti,
septem classibus distinctæ accommodata.

Per H. H. Scholæ ejusdem Rectorem.

Cum præfatione Sturmiana ad
Lectorem.

Proverb. 22. vers. 6.

*Instituendus puer in ea vivendi ratione, à qua etiam cum
senuerit, non recedat.*

Demosth.

*Ὁρθῶς παιδῶσαι καὶ γυμνάσαι τῆρ διάνοισιν μόνῃ
φιλοσοφία δύναται.*

Idem.

Πᾶσα παιδεία δι' ἐπισήμης καὶ μελέτης συνέστηκε.



LEMGOVIÆ,
Per Hæredes Conradi Grotheni.
c1o. Io. xci.

πρὸ πεμπτικῶν Musis cum nova hac Scholæ πρὸς εἶς
Steinfurtum migrantibus scribebat. H. S.

Relligio Musæq; diu Mavortia passæ
Spicula, lugentes tristia fata, gemunt.
Fata gemunt, tristes audit Bentheimicus heros,
Jura dare exsulibus cogitat hospitii.
Spondet opem, vires mandat, gemmæ anchora cygnus
Jungant Schuttdorffum nominat. ἀροπαλῶ.
Mars negat, & vincit. Deslent nova fata sorores,
Vicinum Martem nesciâ habere suum.
Exaudit querulas heros, curasq; secundas
Spondet. forte magis περὶ λόγῳ στρουens.
Accipiunt Musæ, at sortis patientior atræ
Relligio victrix una abit atq; manet.
Sancta manet pietas, i Musæ. At prole beato
Nos vult Steinfurtum sicq; abit illa suum.
Figitur hic sedes, lapides Bentheimia confert,
Anchora firmat, olor carmina leta canit.
Vadite felices, felices vadite Musæ:
Hospita vos vestra his prosequitur precibus.
Vivite, & ἡμῖ θεῶν Babylonis perditæ monstrum
Aera aptate LEVI queis Jerichuunta domet.
Vivite barbariem deforme extinguite monstrum.
Ensem aptate, equum quo θέρμῳ ἀqua secet.
Fict si præsens aptetur fabrica, Sturmî
Primum opus ut vestri norma sit hæc operis.
Benthemicos lapides firmet, Deus, anchora Teclæ
Et Steinfurtiacus dulcia cantet olor.
Cantet dulce Deo, patriaq;: Ecclesia gaude:
Innumera est soboles quam tibi gignet olor.



Prefatio Sturmiana ad Lectorem.



Jus est suadere legem, amice lector, qui condidit: Is enim quia prius quam ad ferendum ac promulgandum accessit, rationes ejus haud dubie investigavit eruit & expendit, æquitatem optimè intelligit, ac proinde etiam de utilitate ac necessitate rectissime & incorruptissime potest judicare. Cum itaq; Joannes ille Sturmius hæc nobis consilia literatæ institutionis dederit, has leges *ὁ πικιδενοίας* scholasticæ, quas hoc libello descripsimus proposuerit, earumq; autor sit; ex ejus siquidè libris de literata institutione hæc magna ex parte descripta sunt, non video, quem potius hæc commendantè quam illum ipsum audire deceat & conveniat. Et quis non illum potissimè audiendum hic censeat, quem multorū annorum experientia, & usus insignem informandæ juventutis artificem reddiderit? Quis enim de forma legitimæ institutionis rectius ac prudentius ferat judicium, quam is, quæ functio Scholastica tot annos administrata, quid ad rectè instituendū requiratur optimè docuit? quis incorruptius judicabit, quàm is, qui piissimè & optimè erga scholas & rem litterariã affectus, de nulla re magis sollicitus fuit toto suæ functionis curriculo, ~~nihil prius nihil aliud curavit~~, quàm de schola, quã administraret rite ordinanda & constituenda, cujus omnia studia sese explicarunt in re litteraria, non solū institutione fideli, verū etiam consiliis, quibus aliorū conatus juvaret, promovenda? Ejus igitur de hac institutionis forma judiciū audiamus: Is tum alibi tum in descriptione scholæ Lavinganæ ipsius tum auspiciis & consiliis constitutæ, tum ex præscripto consiliorum & legū quas ipse tulit administratæ, in hanc fere sententiam modum docendi in scholis quem descripsimus, commendat.

Nunc quoniam habemus, quod primum est, ar-
tium fontes atque rivos: ad quos ludorum magistri, in-
de à prima curia usque ad supremam debent referre
omnia: investiganda etiam media erunt: quibus ad
fontes illos rectè deduci Juventus queat. Ergo ordine
opus est: & quoniam liberalia sunt hæc humanitatis
studia: ordine opus est aperto & eleganti, quam ὁ τάξις
ἡ δὲ τὰς Græci nominant, hoc est ordinem bonum.

Bonum autem hic vocamus: quod prolixitate non
fatigat, & brevitate non obscurat; quod suavitate de-
lectat: & fastidio non imminuit discipulorum indu-
striam: denique quod meliora deterioribus ante ponit:
ut adolescens non solum doceatur: sed etiam doceatur
breviter & brevi ratione, facili, & suavi: & ipse ma-
gister non modo celeriter intelligatur: verum etiam
docendo efficiat, ut ametur vehementer.

Ad servandum autem ejusmodi ordinem bonum,
damus primum tempus docendi, locumque primum
Grammatico: qui fundamenta ponit sermonis puri:
secundum locum Rhetori, qui dicendi explicat divi-
tias, qui oratorum illud *μυροβήκιορ* scrutando & aperien-
do dicendi & orationis ornatae & excultae facultate
ψυχὰς ψυχῆ discipulos instruit. Tertium Dialectico,
qui sapientiae instrumentum discipulis in manum
tradit, qui bene differendi & logici rationis usus fa-
cultate illos armat, & veritatis praesidio adversus om-
nem pravam opinionem praemunit. Atque hoc or-
dine artes dicendi proponimus, his deinde partim
conjugimus, partim subijcimus reliquas suo quamque
ordine, omnia pietate & verae religionis inculcatio-
ne ita condientes, ut nihil doceamus nos, nihil di-
scant discipuli, quod non condiat pietas aliquo exer-
cizio declarata, ut nullum aggrediamur, nullum susci-
piamus

piam laborem, quem non auspicetur moderetur
& finiat pietas & pietatis exercitium, ut primum &
præcipuum finem studiorum nos statuere littera-
tam pietatem, quilibet fateri cogatur, ut maneat ipsa
& conspiciatur non in Theologicis solum, verum
etiam in reliquarum artium traditionibus, & in o-
mni professione. Ita etiam in artibus instituimus
nostros, ut institutioni semper addamus exercita-
tionem. Discipulorum quoque captus omnem do-
cendi rationem moderatur. Vulgatum enim illud,
quod in Rhetoricorum Scholis dicitur. Audito-
rum auribus oratorem prudentem regi: si velit ani-
mos, illorum regere. Idem faciendum cum omni-
bus Philosophiæ doctoribus. tum in primis his tri-
bus magistris, qui linguam & rationem erudiunt:
ut gustandum non porrigant, quod imbecillæ
ætatis linguam offendat amaritudine: & ventricu-
lum lædat cruditate rationis iudicium superet &
vincat subtilitate. Neque enim me movet, quod
dictum est: radices litterarum amaras esse: sed fru-
ctus uberes. Omnino enim existimo, & re ipsa
comperi: nihil amarum in litteris, si ordine bono &
facili doceantur, si facile etiam omnia intelligen-
tur.

Atque ut Medicum laudare non possum, qui se-
minum & radicum, & medicinarum fastidia suavi-
oribus rebus salubriter non potest occultare atque
corrigere: sic laudandos etiam eos præceptores
non censeo, qui tritæ per Scholas institutionis vi-
tia corrigendo non leniunt ac tollunt fastidia ac
amaritudinem artium. Quanquam id vitium non
tam hominibus adscribendum est, quam ipsis tem-
poribus: quæ sæpenumero auctoritate plus quam

veritate possunt. Tyrannis est non doctrina, in vitiis defendendis vetustatis auctoritas. In constituendis igitur Scholis, & emendandis vitiis, videndum est primum, quid vitii sit in temporibus. Consuetudo enim plurimum potest, in utramque partem bonorum atque malorum. Quanta barbaries confirmata fuit nostra ætate ante annos quinquaginta: in Scholis Grammaticorum, Rhetorum, Dialecticorum, Jureconsultorum, Medicorum? quanta immanitas impietatis: specie pietatis in religione? In omnibus his adhuc multæ & magnæ sunt reliquæ: & nova incipiunt irrepere vitia, quæ si radices agerent, mala sensuri essent nepotes nostri: & perniciosiora & diuturniora: quam nos sensimus: quorum vitiosissimum tamen fuit seculum. Exemplis ista ostendere non est necessarium: apparent enim magno multorum hominum & prudentium virorum dolore: neque exempla produci possunt, ut non offendant.

Sed non in temporibus solum considerare debet magister bonus, quid probum sit, & quid vitiosum verum etiam in pueris. Multi sunt, qui memoria valent: tardè vero intelligentia assequi possunt, quod memoriæ mandandum est. Multi ad intelligendum excitatam naturam habent: sed memoria fragili sunt & fluxili præditi.

Alii propter desidiam à studiis abhorrent, quod genus pessimum est: alii propter familiaritates aut monitores domesticos industriam remittunt: & sese corrumpi patiuntur: alii sunt, qui non litterarum: sed cæterarum rerum studiis delectantur magis: alii celeriter fatigantur, sed multa brevi
asse-

assequuntur; alii laborem ferre queunt: sed assequi nolunt, quod queant.

Omnia hæc vitia à magistro bono & moderatore perito notanda sunt atq; corrigenda: sed modo bono & ratione amabili. Caput præceptionis est: ut quales præceptor discipulos esse velit: talis ipse esse videatur. Qua in re etiam domi peccatur à parentibus usq; adeo, ut sæpe pueri natura boni parentum labe inquinentur.

Sed in magistro ac doctore vitia quasi in loco conspicuo proposita sunt: ut & virtutes. Appa- reant igitur in doctore, & extent, & in oculis omnium puerorum versentur vigiliæ, labores, lectio- nes, scriptiones. Adferat quotidie aliquid ad disci- pulos suos: tanquam ad filios bonus pater: quo tene- ras mentes refocillet ac nutriat. Consideret quàm avidæ aviculæ implumes escam excipiant: quàm di- ligenter parentes adferant: quàm crebro & quàm as- sidue a volent: quam accurate custodiant ab inedia & fame: à pluvia & aeris injuria, ab inimicis bestiis in- commodisq; cæteris, quæ his bestiolis accedere pos- sunt.

Sed feras bestias natura impellit ad quotidiana officia: hominibus quo ratione plus possunt, eò di- ligentius enitendum est ne à bestiis brutis superen- tur.

Dux vero res sunt præcipuæ; quas in litterarum magistro requirimus, diligentiam & modum: qua- rum alteram græci *επιλοπονίαν* vocant, alteram *μέθοδον* sine qua illa, quæ supra posuimus vitia corrigi non possunt. Doctrinæ non memini: non enim est opus meminisse, quæ enim magister sit, qui non sit illis re- bus eruditus, quas aliis constituit tradere?

Hæc

Hæc Sturmiana Sturmianæ *δὲ πικρῶς* com-
mendatio. Quæ te candide lector, quicumq; non
malè erga rem litterariam affectus es, & rectum ferre
de rebus iudicium didicisti, non potest non impel-
lere ad comprobandam legitimè instituendi ratio-
nem, quam hic descripsimus, & tenendam nobis in
Schola nostræ fidei commissa censemus. Non po-
tes, inquam, non moveri hac Sturmii ducis in Mu-
farum castris exercitatissimi commendatione & cen-
sura ad laudandum & suspiciendum Illustris ac Ge-
nerosi Comitis Bentheimici, Teceleburgici, & Stein-
fortici Domini Rhedæ & VVevelinckhovii piissi-
mum institutum, & in Schola ipsius Illustris Gene-
rositatis pia munificentia fundata & aperta, quæ
nunc maturo & prudentissimo consilio Steinfurtum
transfertur rectè ordinanda summam prudentiam,
deq; ea quàm optimè constituenda piam sollicitudi-
nem, ut qui non putarit se suo muneri satisfecisse, &
ejus partes omnes explevisse, nisi quam constituisset
& aperuisset Scholam, in eam etiam hanc legitimam
institutionis litteratæ rationem ac formam introdu-
cendam, & à moderatoribus ejus perpetuò servan-
dam curaret. Permoveat te & impellat hoc idem
incorruptè judicantis Sturmii iudicium ad execran-
dum nobiscum eorum calumnias, & vefanas repre-
hensiones, quibus pro sua indole nihil tam usita-
tum & solenne, quàm quicquid ab aliis rectè insti-
tuitur stolidè contemnere, & dente canino arrode-
re. Quorum tamen vefanorum vituperatorum ac
contemptorum iudicia, ut, quàm non reformide-
mus, intelligas, & quam certò propositum nobis sit
non pati nos iis ab instituto absterri, sic habeto.

Per-

Perfuasissimum nobis est hanc institutionis formam non posse in ullius reprehensionē incurrere, nisi malitiosus sit, aut legitimæ institutionis planē ignarus. Quis enim modò animo benè constitutus sit, & rerum intelligens jure queat vel audeat reprehendere conatum in re tam honesta bonum, & verbo **D E I** congruentem, nec non optimorum Philosophorum ac cordatissimorum moderatorum Scholæ judicio approbatum. Imperitorum judicia patienter feremus; malitiosorū calumnias forti animo contemnemus. Ab iis enim, à quibus, ut res quæq; est optima, sic maximè fastiditur, laudari non cupimus; à malis siquidem laudari vituperari est, & summa affici ignominia. Et malorum ac pravorum ea est indoles, ea natura, ut nihil, quod bonum est, illis possit placere aut probari. Judicant de rebus prout fert ipsorum indoles, non ex præstantia & pretio eas æstimantes, sed ex earum ad suam indolem apposita natura, non secus ac asinus eligit carduos, non quod præstent & meliores sint reliquis herbis, sed quia iis delectatur: Mali eligunt, non quæ digna sunt, ut eligantur, sed quibus delectantur, & sequuntur suam in eligendo indolem ac sua trahuntur voluptate. Quare quis non laudi sibi duceret ab ejusmodi hominibus contemni & vituperari? quis non turpe laudari? Magno igitur animo contemnimus id genus hominum judicia & fastidia. Tuum est, benevole lector absq; sinistro præjudicio ad hæc nostra legendum accedere, & donec perlegeris judicium suspendere: quod si feceris non dubitamus, quin optimè de nobis nostroq; institutis judicaturus. Velim autem hoc tibi persuasum omnino habeas, nō commisisse nos hætenus, nec unquam in posterum *o p̄ theq̄* commissuros, ut jure nobis
objici

objici possit, quod ea promittamus verbis, quæ re-
ipsa non præstemus, eos Elencho descriptos propo-
namus libros, quos aut explicatione non attingamus,
aut cursim sine discipulorum fructu transiliamus,
quod qui faciunt, eos merito reprehendi, & ut stoli-
dos rideri equidem non nego. Ad me quod attinet
hoc verè & exporrecta in D E U M mente affirmare
possum, nihil mihi unquam magis displicuisse, nihil
tam pugnare ferè cum mea natura, quàm inanem o-
stentationem. Scholam nostram in posterum ita Dei
beneficio, & Magistratus prudentia fore constitutam;
ita tum nostra, tum doctissimorum virorum, qui ex
celeberrimis accersiti Academiis & Scholis nobis ad-
jungentur, opera & industria administratum iri con-
fido, ut malevolis adversariis vel suspicandi aliquid
de ea sinistrè adimatur & præcidatur occasio. Quod
ut præstare possimus, Deum Opt. Max. qui vires ad
eà, quæ muneris ratio postulat, explendum suppeditet
& conatus nostros promoveat ac secundet, ejusq[ue]
opem & auxilium assiduis & ardentibus precibus
implorabimus, successum laborum certa cum fiducia
ab eo expectantes. Vale Schuttoisii postridie

Calend. Mart. Anno &c.

clō, Iō, xci.

EPI

Epigramma ad Lectorem.

Magnificam statuit Musis Comes inclitus ædem,
Numinis ipse memor, **N O M I N I S** atq; sui.
Nomen honoratis pulchrum virtutibus æquat,
Pierii, Musas, **F A V T O R H O N O R I S**, amat.
Numen honorandum cultu pietatis honorat:
Jure ergo **E H R N H O L D I** nomen & omen habet.
Sed domus hospitium renuit sine Apolline Musis,
Extractæ fiant quo duce, cuncta domus.
Ergo, **D E C O R I S A M A N S**, ornamentum decus addit,
Nomen honore beat: præses Apollo præit.
Res habet hæc fatum, fato si nomina dantur,
Convenit officiis nomen utrumq; suis.
H E H R M A N N V S Musis dux ut Harminius aspro
Præfectus Marti, duxq; paterq; præit.
Verus & **O E C A N D E R** commissæ præsidet ædi,
Phæbeo quo non dignior imperio.
Subditus huic paret Musarum **E X E R C I T V S** onnis,
Commissæq; **D O M V S** ordine jura regit.
Optimus ingenuas zelo Comes excitat artes,
Laurigero & Musas ex Helicone vocat.
Optimus accitas Phæbus regit **O R D I N E** Musas,
Quo sine succedit nil bene, cuncta malè.
Semina virtutum, quo propagentur & artes,
Arva novem Musis datq; habitanda Comes.
Ordinis observans, sed digerit omnia Phæbus,
Sanaq; distinctis semina mandat agris.
Sic domus Oeconomo regitur sic arva colono
O R D I N E, stat Schola quo stante, cadente cadit.
Stat Schola: propitio sed Numine fulcra tenente,
Atq; **L O C I G E N I O** conciliante decus.
Bellerophon: is equum non quo vis mente scatebras,
Solo Helicone, suas prolicuisse juvat.

Ergo

Ergo LOCIGENIVM Comes Inclitus æde Camænis
 Auspice, mutata, Numine conciliat.
 Avocat hinc nostras à Vechtæ flumine Musas;
 Adductas Alphæ ad blanda fluentia fovet.
 Tanto Pierios zelo Comes ardet honores:
 Propitium votis Numen adesse velit.
 Atria structa patent, castis operata Camænis
 Turba subit; totum Præsidis ordo regit.
 Hic tibi discendi filum, methodumq; docendi
 Ostendit, præsens tradit ut ipse liber.
 Hac ratione pater mutata sede Lyceum
 Benthemidum, studiis, lector amice tuis.
 Hac tibi tradentur Methodo duce & arte magistra,
 Quæ promittuntur cognitionis opes.
 Gymnasia hoc ramo docuit moderariæ aurêo
 Socratici Ramus duxq; caputq; chori.
 Sic duo præclarâ rexit cum laude Lycea,
 Sturmius ingenio maximus, arte gravis.
 Hunc quoq; Benthemidum servat Schola aperta decorem
 Doctrinæ fundens & pietatis opes.
 Vera patescit enim quæ sit sapientia, mentem
 Imbuit & vera religione DEI.
 Usu perpetuus nexus conjungit utramq; ;
 EST Onus haud HONOR EST, ars pietatis inops.
 Hæc Schola ditabit terras superosq; beabit,
 Serviet arte S O L O, sed pietate P O L O.
 Sed tu Christe Scholæ nutritia fulcra tuere
 Da longum Musas hinc habitare pias.
 Sis præsens, omnes oneroso fasce levato
 Discentumq; greges, artificesq; viros.

Otho Casmannus.

I. CAPUT.
De constituenda & aperienda
Schola particulari.



Ad aperiendum ludum litterarium, & instituendam Scholam bonis artibus docendis, & religioni propaganda idoneam & accommodatam, duplex requiritur & necessaria est cura & sollicitudo.

Prima est de fundatione ac constitutione: Secunda de conservatione.

Fundatio est pia ac legitima in Repub. aliqua Scholæ novæ, quæ ejus seminarium sit, & in qua juvenus bonis artibus imbuatur, & ad pietatem ac virtutes assuefiat ac educetur, constitutio.

Ad hanc requiritur tum facultas faciendi & ferendi sumptus, tum loci commoditas.

Facultas ferendorum sumptuum necessaria est, tum ad alia: tum ad exstructionem ædificiorum, eorum præcipue, in quibus doceatur juvenus, quæq; Musarum domicilia sint.

Ad locum idoneum pertinet commoditas alicujus oppidi, & civitatis situ sui, & ratione bene constitutæ politicæ & ordinis publici, ad præbendum sacris Musis hospitium accommodatæ & appositæ.

Ad Conservationem pertinent tum alia media; tum procuratio legitimæ administrationis. Inter alia media præcipua sunt annui redditus & constitutio Scholarum.

Redditus necessarii sunt, ex quibus præceptoribus docentibus decernantur justa & honesta stipendia, atq; etiam si ita res tulerit, Studiosis, qui ad literas apti, & iis sese dediderunt, & tamen inde sua studia alant, non habent, suppedi-
A tentur

teentur & parentur subsidia. Tales enim si eruditionis & doctrinae spes aliqua fore videatur, non negligi, sed publicis etiam sumptibus, quo commorari in studiis possint, sustentari, Reipublicae & Ecclesiae interest.

Scholarum constituendi, qui armati auctoritate & mandato supremi Magistratus, videant, nequid detrimenti respub. litteraria capiat, qui curent, ut praceptoribus justo tempore sua solvantur & numerentur stipendia ac salaria: qui sint Inspectores ac Censores vitae morumque tam docentium quam discipulorum: qui controversias tum inter collegas & Rectorem exortas tum alias graviores dirimant, componant ac tollant; qui denique curent, ut omnia rite gerantur, fiant & administrantur à Praceptoribus. Sed de constitutione Scholarum plura, qui volet, legat apud A. Frisium. Modèrium virum litteratissimum, & Regis Poloniae, Sigismundi Augusti, quondam Secretarium, lib. 5. Commentariorum de Emendanda Republica.

CAPUT 2.

De Procuratore legitimae Administrationis, & de Conditionibus Praceptorum.

Procuratio legitimae administrationis consistit in cura & solitudine bonos dispiciendi & praeficiendi magistros, & constituendi tum rectorem, tum praefectos Curiarum. Quae in his requiruntur sunt tum communia, tum propria & specialia. Communia, ut sint vitae integritate commendati, & spectata pietate graves, morum gravitate & elegantia insignes, pii denique & honesti viri.

Specialia ratione functionis Scholasticae in iis requiruntur ea, quae faciunt idoneos informandae juventutis & ad-

mini-

ministrandorum studiorum puerilium artifices. Sicut itaque facultate & virtutibus ad sustinendam hanc functionem, & administrandam provinciam necessariis instructi & idonei: voluntate ad eam proclives.

Facultas, quae in iis requiritur, consistit in eo, ut sint eruditi, & solida artium, quarum professionem suscipiunt, & sibi demandari patiuntur, cognitione instructi, bene literati, in artibus ipsimet exercitati: Sed imprimis instructi & armati dexteritate docendi & erudiendi pueros litterarum cultura ad veram & salutarem sapientiam, pietatem, & vitae morumque honestatem, & qua possint non tantum ipsi defungi suis laboribus, & muneris docendi partes explere: Verum etiam discipulorum labores moderari, puerorum studia singulari prudentia & industria regere, suo ductu formare, in pueris φιλομαθίαν excitare, eosque ad laborum molestias perferendas spe honorum & utilitatum proposita animare: & deinde, quia functio Scholastica requirit totum hominem, immunes sint ab aliis vitae negotiis, muneribus ac molestiis.

Voluntate erunt idonei, si sint erga rem litterariam & Scholarum utilitatem promovendam bene pieque affecti παιδοκομοι και παιδονομοι, amantes puerorum & ab iisdem diligantur: qui ad eorum aetatem, mores sese accommodare, ad captum demittere possint, mites, comes, affabiles & faciles sese pueris praebent, quique etiam in gratiam puerorum repuerascere quandoque non grauentur, qui denique puerorum & adolescentum consuetudine & quasi commercio delectentur, non secus, ab boni duces consuetudine fortium & strenuorum militum. Deinde requiritur etiam in Praeceptoribus, ut vita Scholastica & ejus stipendio contenti, ampliores opes aut honores non requirant, ita delectentur laboribus scholasticis, ita sese iis oblectent, ut in Scholastici muneris fornace sudare, in aratro laborare bonorum omnium sit & videatur illis extremum esse.

A 2 Inter

Inter hos unus erit moderator, qui ita præsit, ut innocuus dictator, qui magistratui potentiori, à quo scilicet constitutus est, subjectus, tum demum laudem obtineat, si rectè regat, & magnos utilitatis fructus præbeat.

Hi præceptores, qui ejusmodi facultatibus sint instructi, primum sunt conducendi, conductis deinceps functio demandanda: Illi demandatam functionem & decretam sibi provinciam alacriter suscipient; susceptam gnave administrabunt, summum sibi bonum statuentes, Spartam, quam nacti sint, adornare: honorificentissimum sibi & summæ laudis fore ducentes, ea, quæ ratio muneris postulat, exequendo se se magis oblectare, quàm ullis vel carnis vel mundi deliciis: Qui deniq; omnia & universam functionem & omnes ejus labores omnemq; curam & sollicitudinem ad DEI gloriam & Reipublicæ literariæ utilitatem, & ad promotionem studiorum puerilium, memores illorum promovendorum se constitutos esse ministros, referentes & convertentes, & sic functionem scholasticam ritè sustinendo suam stationem tueri, & suo munere defungi conentur.

CAPUT 3.

De Classium constitutione & Scholæ in eas distinctione.

SED jam de ipsa administratione & functione Præceptorum dicendum. Est autem functio Præceptorum scholastica nihil aliud, quàm Scholæ docendis artibus constitutæ & apertæ prudens administratio & officiorum *εὐπαιδευσίας* ἐκτέλεσις. *Εὐπαιδευσίας*, inquam, quæ est liberalis puerorum institutio, qua litterarum cultura ad sapientiam salutarem, veram pietatem & bonos mores erudiuntur.

Hac cultura præparantur juniores & idonei redduntur, ut iis aliquando in Repub. & Ecclesia munera publica
com-

committi & demandari utiliter possint: ut ad navem illam
Reipub. in qua omnium salus devehitur, gubernandam ad-
hiberi, & ad eius gubernacula admoveri. & Respub. (ut Ju-
stinianus Imperator ait) partibus ejus illis credendis possit
gubernari.

Ad hanc pertinent primò scholæ in classes distinctio &
ordinum distributio. Deinde classium singularum prudens,
solers & diligens administratio. De constitutione classium
duo consideramus: Primò necessitatem ejusmodi distributio-
nis ordinum. Secundò numerum curiarum, & constitutionis
distinctarum curiarum formam.

Primum itaq; omnino necesse est, ut Schola privata
in certos discipulorum ordines seu classes sit distincta, eaq; di-
stinctio ad numerum, ordinem, & naturam artium in eo do-
cendarum accommodata sit, atq; ita unicuiq; artium dicen-
di seu Logicarum (his enim potissimum docendis Scholæ
particulares constituuntur) sua attribuat & destinetur
classis, & quibus docendis una non sufficit, ut Grammaticæ,
iis plures destinentur & constituantur; Et vicissim unicuiq;
etiam Classi certæ artes in ea docendæ, & auctores in ea præ-
legendi assignentur: quin etiam suis unicuiq; ordini præficia-
tur præceptor, ad ejus administrationem artium scientia &
docendi dexteritate idoneus, & necessariis dotibus instru-
ctus. Hæc distinctio faciet, ut vitetur auctorum confusio,
& stulta coacervatio, atq; etiam discipulorum, quorum pro-
fectus, quem fecerunt, est inæqualis, conjunctio in eadem
classe, qua nihil studiis puerilibus perniciosius, aut quod ma-
gis profectum remoretur. Quanquam quidam indocti, insul-
si, & præposterii, ac stolidè sapientes Scholarum præfecti re-
periantur, quos non pudeat ejusmodi coacervationem aucto-
rum in Scholas invehere, eorumq; cumulo & quasi turba
discipulorum ingenia obruere & studia perturbare. Hi le-
gunt & in eadem classe proponunt Grammaticam latinam,

Græcam, Syntaxin majorem, Dialecticam, Rhetoricam, Copiam, Erasmi, Fabulas Æsopi, Ciceronem, Terentium, Vergilium, Ovidium, Hesiodum, Homerum, Arithmeti-
cam, Musicam Fabri majorem, interdum etiam Physicam, librum Juridicum, Sphæram, & quod indignius & magis ad-
mirandum mordicus etiam tueri ejusmodi coacervationem, non verentur: & hi scilicet dum pulchrum sibi & honorifi-
cum ducunt, si omnia & quidvis ex sese discendi facultatem & copiam auditoribus faciant, efficiunt, confusaneam illam rationem docendi sequentes, ut nihil vel solidè, vel rectè vel perfectè à pueris discatur.

Neq; enim hæc est liberalis institutio, sed tantum à vera studiorum ratione avocatio, dum scilicet ita instituti adolescen-
tes passim ex auctoribus decerpunt, quantum libet: artes au-
tem ipsas nec ordine certo, nec solidè discunt. Unde factum esse nemo mirari debet, ut functio Scholastica & regimen Scholarum apud multos etiam cordatos, & rerum peritos viros in suspicionem inciderit, & in odium ac contemptum adductum sit: & non aliter fastidiatur hoc vitæ genus, ac si planè esset inutilis Schola, nullusq; ex ea perciperetur in Repub. fructus.

Mulsi etiam ex ejusmodi præceptorculis tandem ipsi ad insaniam redacti, & à rectæ rationis usu deturbati, & communi sensu ac mente capti, omne tum vitæ, tum functio-
nis tempus inutilibus ac stultis cogitationibus & curis, ac præpostero ac perverso ordine institutis laboribus transege-
runt. Quare hujus distinctionis diligens est habenda ratio, omnis confusanea tum docendi, tum discendi ratio sollicitè vi-
tanda. Et profectò nullum est animal magis portentosum & deformè, quam ejusmodi ineptus & monstruosus ac præ-
posterè omnia instituens Rector Scholæ.

Septem autem minimum classes sint necesse est in scho-
la particulari: Sex necessariarum auscultationum, & una
auscul-

auscultationis liberioris : seu potius sex Logicae, quae docendis artibus dicendi destinantur. Ex his Grammaticae docendae quatuor : Quinta, quae quarta alioqui, destinatur docendae linguae ac Grammaticae Graecae, ejusque praecepta ediscit, & ei adjungit Rhetoricam. Sexta, quae tertia in ordine Dialecticae docendae & exercendae propria. His adjungitur septima, in qua doceantur Mathesis, Physica, Ethica, Jurisprudentia, Theologia.

Ad formam constitutionis classium, & ordinationis earum pertinent & necessaria sunt haec : Prima, ut harum unaquaeque suis studiis ceu finibus circumscripta ab aliis abstineat, ac proprium, quod tractet, ei assignatum sit.

Secundo requiritur prudentia ad idoneos unicuique classis destinandos & eligendos discipulos, haec destinatio quasi electio quaedam est eorum, qui aetate, ingenio, & profectu sunt idonei ad classem ; hic quasi delectus facit, ut convenientes habeat & accipiat unaquaeque classis discipulos, qui ea sint aetate & conditione, ut opus habeant cultura artium, quae docentur in illo ordine, in quo collocantur ; ea etiam ingenii capacitate, eo judicio, eum fecerint progressum, ut percipere doctrinam in classe proponendam possint. Tertio, ut classibus singulis singuli Doctores seu Praeceptores tanquam plebi curatores & tribubus Magistri praeficiantur, qui rationem classis intelligentes, non tantum suos labores ad eam accommodare ; Sed etiam discipulorum studia moderari, & ut pro ratione Classis omnia in ea rite fiant, curare & providere queant. Quarto, requiritur singularis quaedam Symphonia classium consistens potissimum in ordine artium. Atque ita necesse est singulas artes, quarum explicatio Scholis debetur, inter classes partiri, ut natura priores infimae ; his claritate & facilitate proxima, intermediis ; natura posteriores supremae classi assignentur. Hinc duplex utilitas consequetur. Sic enim fiet ; Primo, ut facili saltu ab infimis ad summa, à facilibus ad difficilia discipulis aditus pateat. Dem.

Deinde ut eae artes doceantur semper & antecedant in
precedente classe, quarum usus in sequentibus & retineatur
& augeatur. Quae harmonica consensio classium plane &
omnino necessaria est, ne scilicet semel cognita postea obli-
vioni tradantur. Quinto, hic etiam necessarium est, ut
ordines seu classes per Decurias seu Octurias distinguantur,
ex quibus Decuriones deligantur, seu praesides Decuriarum,
animadversores morum, & exactores officiorum.

Postremo, requiritur hoc etiam in Classium ordinatione,
ut ex inferioribus nemo ascendat ad altiora, nisi prius subie-
rit examen, cujus formam & rationem, atque etiam tempus
alibi praescribemus.

Deinde ut huic promotioni insit tum necessaria quidem
utilitas, tum accommodata pueritiae studiis oblectatio. Utilis
autem est si fuerit accommodata excitandae & accendendae
in pueris acri contentioni ad propositam metam, quam in di-
scipulis necessariam esse Plato epistola 7, asserit: & sic in-
stituatur, ut dum promoventur pueri, intelligant & ani-
madvertant se profecisse, & studia literarum esse medium,
quo ad majores honores evehantur. (Et sunt certe hi hono-
res scholastici imago quaedam honorum publicorum) quod
dum intelligunt mira accenditur in illis alacritas, honos enim
alio artes, & omnes ad studia incendimur gloria, ait Tul-
lius: Studium hoc contendendi auget deinde persuasio puero-
rum, dum scilicet putant, ut sit plerumque, posteriora ex antea-
tis prioribus faciliora fore, unde & illa Aeneae cohortatio:
O passi graviores, dabit Deus his quoque finem.

Deinde, ut tum ad excitandum ita pueros sit compa-
rata, tum oblectationem habeat, solennis debet ascensus ad
superiores ordines seu classes fieri, ad quem non soli Magistri
Scholae & discipuli veniant: Sed etiam Scholarchae cum
Theologis, Ecclesiarum ministris, quin etiam, si fieri possit,
admittantur puerorum parentes & amici. Multum hic ex-
citabit

citabitur adolescentes si duobus in singulis ordinibus, qui majores, quam ceteri profectus fecerunt, præmia dentur industrie & virtutis.

Et quoniam ea in re gratia suspecta sæpè est, jus erit inferioribus congregari cum his, qui præpositi sunt, & stylo & oratione, & disputatione contendere, ut si par sit, qui concertat, eodem afficiatur præmio; si imbecillior, redeat tamen ad suum locum nullo cum dedecore.

CAPUT 4.

De Administratione classium in genere, & duplici præceptorum officio, seu duabus functionis Scholasticæ partibus.

Classibus, per quas Scholam distinguendam censemus, ita constitutis omni ope enitendum, & sedulo incumbendum in legitimam & prudentem singularum administrationem, non exigua (inquam) cura in legitimam earum institutionem conferenda est, magno certe judicio & consilio, magna prudentia regenda, ut rectè instituatur, & fructus, qui est discipulorum in pietate, artibus, & bonis moribus profectus, sequatur, & evidenter appareat. Institutio hæc in tota Schola, & in singulis classibus adhibenda, consistit in communicatione doctrinæ, & gubernatione morum: quarum illa certarum artium & linguarum cognitionem; hæc vitæ ac morum conformationem, pietatis ac virtutis doctrinæ consentientem tradit. Sunt enim hæc duo officia bonorum præceptorum: horum posteriore nempe disciplina efficitur, ut fructus doctrinæ ex communicatione perceptæ statim in ipsa etiam vita Scholastica apparere incipiat. Debet itaq; quilibet Magister, & Classium præfectus in utramq; functionis

B par-

partem, quo suo munere recte defungatur, in sua classe sedulo incumbere, & utramque pie ac prudenter referre ad finem & scopum institutioni & laboribus scholasticis propositum qui est ut modo diximus pia eruditio, litterata pietas & bene morata sapientia: id fiet si illa ad ingenii captum; haec ad pueri naturam indolem & mores fuerit prudenter attemperata.

Communicatio salutaris doctrinae est prima pars functionis Magistrorum & Institutionis scholasticae, qua discipuli in Scholasticam disciplinam traditi legitime instituti salutari doctrina imbuuntur. Ceterum hic primo sciendum quae doctrina sint imbuendi, & deinde quae communicationis forma et partes. Est porro communicanda doctrina salutaris & litteratae sapientiae, qua imbuti homines litterate sapientes redduntur, suntque beatiores & ad vivendum Dei legibus congruenter, ad officia pietatis erga Deum, justitiae & dilectionis erga homines exequendum magis idonei: Denique τεχνосоφώτεροι & βιοσοφώτεροι efficiuntur, & evadunt. Docendae igitur sunt tum eae artes, quibus continetur τεχνосоφία & facultas τεχνосоφική, & αλοτεχνία, id est, artificiosè agendi industria paratur: tum eae quibus comprehenditur βιοσφία, seu βιωτική, solertia & sagacitas ad vitae officia, tum erga Deum, tum erga homines exequendum: quarum illa huic inservit, & viam ad eam sternit: ita, ut non tam usu separentur, quam natura & ratione ac forma doctrinae distinguantur. Ad τεχνосоφίαν docendam referimus ceteras artes liberales omnes, tum generales, tum mathematicas & physicas, praeter Theologiam & Ethicam: haec enim magis proprie vitam salutaribus praecipis informando, & bene beateque vivendi rationem tradendo, βιοσοφικοί sunt & dicuntur. Illae siquidem quamvis & agendi officia tradant: tamen non proprie vitam & mores informant, sed αλοτεχνικώς & τεχνосоφικώς agere docent: At haec proprie vitam & mores informant, suntque ἀρετολογικοί & ἐπιτε-

διδυμικοί.

δαμαπικαί, hoc est, μαθησιαστικῶς agere & actiones
instituere docent. Ceterum ad hanc doctrinam inculcandam
& tradendam nostris discipulis proponimus & interpretamur
auctores duplices, nempe Technologicos & Technematogra-
phos: artes prælegimus, & auctores imitationis practicos, eo-
rū τεχνήματα. Artes prælegendas, æstimamus ex materia
& forma Materia bonas & dignas, quæ prælegantur judica-
mus si præceptis constant & descriptæ sint verè επισημονικῶς,
id est, scientificis, artiū enim studiosis proposita est scientia,
quæ nisi præcepta sint scientifica, ex artibus nemo percipiet.

Ex his itaq; auctoribus artes proponimus, qui eas earumq;
descriptionem conformarunt ad principii illius Aristotelici
nobilissimi prudentissimas leges κατὰ παντός, καὶ ὁ αὐτό, &
καὶ ὁ ὅλος πρῶτον. Erunt itaq; artium, ut à nobis præleguntur,
præcepta ex lege Aristotelis prima κατὰ παντός, absolutè
necessarioq; & perpetuò vera; Ex lege secunda καὶ ὁ αὐτό ho-
mogenea, quæ constet ex partibus inter se essentialibus & es-
sentiali ac definitivo, ut vocant, nexu cognatis, & sint artis
ejus in qua ponuntur propria, essentialiaq; ac nativa velut
corporis membra. Ex lege tertia καὶ ὁ ὅλος πρῶτον Catholica,
& ex reciprocis partibus constituta, quibus, quæ generalia
generatim cum genere; quæ verò specialia speciatim, & in
speciebus doceantur & explicentur.

Formam statuimus primò in præceptorum ad has tres le-
ges compositorum & conformatorum methodica dispositione,
& ordine, quo collocata constituunt artificiosum doctrinæ
Systema. Et methodicè quidem descriptas esse volumus quas
prælegimus, & juventuti nostræ fidei commissæ inculcamus,
artes, quia nulla doctrina perfectè & solidè percipitur ac di-
scitur ἀμεθόδως proposita. Id. n. rectè discitur & percipitur,
quod ὁτὸ αὐτῶς mente concipitur, nihil autè ὁτὸ αὐτῶς im-
primatur menti, nisi methodicè doceatur: & præterea sola me-
thodῶ ad perspicuè, congruenter et appositè ad mentē hominis
docendā est idonea. Siquidē mens hominis non monstrōsa, sed

bene composita, à natura apta est & affecta, ad amandum & sequendum ordinem; ingenerata, inquam, illi est à natura affectio, quæ ad percipiendum ea, quæ δὲ τῆς τέχνης docentur, appositæ est. Methodum igitur nos in artibus requirimus, cujus legibus à generalissimis per subalterna & intermedia ad infima præcepta fiat progressus. Deinde formam etiam statuimus in affectione præceptorum, quæ sunt appositæ ad δὲ πρᾶξι, & ad docendum τεχνολογίας exhibere certum artis opus, cujus exhibitio & publicè & privatim utilis sit, & necessaria in vita. Et tales quidem requirimus artes. Auctores Technematographicos eos seligemus, quorum Technemata & opera conformata sint ad leges artium, quibus quæ artium virtutes ita expressæ, ut suppeditent exempla ad artes illustrandas, & earum usum demonstrandum idonea, qui purissimè locuti, optimè dixerint, & prudentissimè disseruerint, qui usi sint sermone puro & oratione ac locutione eleganti, dictione ornamentis ac virtutibus Rhetoricis insigni, dissertatione prudenti. Quorum etiam opera doctrinam contineant, quibus facultatum, specialium, & Philosophiæ partium τεχνολογία confirmari, & capita illustrari ac declarari queant. Atq; hæc de communicanda doctrina: Forma communicationis sequitur.

Ad hanc numeris partem explendam requiritur à Præceptore, ut singulari prudentia & dexteritate doctrinam, quam didicit prius ipse, & cujus intelligentia est imbutus, cum discipulis expeditè communicet, & suæ scientiæ, eruditionis ac doctrinæ illos solerter consortes ac participes faciat, & in illos quasi transfundat, & de suæ scientiæ lumine lumen in discipulorum animis accendat, suam eruditionem ad illorum instructionem referendo. Et hoc primum hic præceptoris ἄλλοτεχνῶν officium. Alterum in ordine & modo, quem in docendo seruet, aperto & eleganti, hoc est, bono: Bonum hîc vocamus, quod prolixitate non fatigat, bre-

breuitate non obscurat ; quod suauitate delectat, fastidio non
 imminuit discipulorum industriam. Deinde ad legitimum
 communicationem necessaria est totius Institutionis pru-
 dens ad propositum finem assequendum relatio & reuocatio,
 qui nisi diligenter expendatur à præceptoribus ; non satis
 elaborant etiam, ut adolescentes ad eum rectâ perducant.
 Est autem ille finis & scopus discipulorum profectus litte-
 rata pietas & eloquens sapientia: ἁλοτεχνία & βιοσοφία.
 Ad assequendum hunc finem primò requiritur, ut præcepto-
 res in docendo adhibeant utilem diligentiam & cui fides insit,
 quæ utilitate & profectu discipulorum censenda est : Sunt
 enim multi sibi non suis diligentes : ut ii, quorum diligentia
 ad ostentationem dirigitur : horum fallax est diligentia :
 In Præceptore verò utilis diligentia requiritur. Ergo qui
 alios docet, ut ipse discat, is suum, non discipulorum querit
 commodum, & qui laudem querit ex pueri memoria, recita-
 tione latinorum, aut Græcorum versum, is paucarum hora-
 rum merces explicat ; nullas facultates opesq; reconditas vo-
 luit possideri.

Secundò, ut meminerint discipulorum quorum profe-
 ctus hinc queritur, eruditionem constare duabus quasi parti-
 bus, nempe intelligentia artium, seu salutaris sapientie &
 doctrine θεωρητικῆ cognitione ; & expedita facultate artis
 opus exhibendi, & artes ad utiles in vita usus reuocandi.
 Tertio, ut hac duplici eruditione discipulos feliciter & faci-
 lius instruant, operam dabunt, ut omnis communicatio ac-
 commodata sit ad discipulorum captum, tum quoad doctrinam,
 tum etiam quoad formam communicandi. Quarto, quia ut
 paulò ante diximus finis studiorum non tantum τεχνосоφία,
 sed etiam βιοσοφία & vite beatitas, & omnis liberalis insti-
 tutio τὸ Χριστιανὸν τῷ βίῳ spectare potissimum debet, & ni-
 hil utilitatis habet elegans & litterata institutio, si à doctri-
 na & litteris vita dissideat, sic in artibus pueri institui de-

benè, ut simul ad usum earum $\epsilon\iota\omicron\epsilon\alpha\lambda\omicron\nu$ informentur & ad pietatem, ac morum honestatem juvenilis animus artium cultura erudiatur. Postremo & hoc ad discipulorum studia promovendum imprimis est necessarium, ut Magistrorum summa sit Consensio, & consentiens docendi ratio, quæ primò in eo consistit, ut, quamvis diversa doceant, tamen eandem omnes ingrediantur viam, & rationem in docendo sequantur. Deinde, ut Magister inferior det operam, ut superiorum quæ suæ classis propria sunt, cognitione instructos, & benè preparatos adducat discipulos & tradat; Superior autè ex classe inferiore, adolescentes quasi è manu ex aminorum & etiam Magistri inferioris recipiat, atq; ita instituat, ut eorum, quæ didicerunt, & quibus instructos eos accepit, non obliviscantur, sed ea confirmantur sua industria ac assidua exercitatione: & alia addat, quæ ad suam tribum propriè pertineant: quo & ipse eos sequentis curiæ præfecto tradere possit & adducere, utrorumq; tum scilicet eorum, quæ ad suam classem attulerunt, tum quæ ipse addiderit, cognitionem consecutos. Ceterum quia præleguntur vel ipsæ artes, vel earum compendia & rudimenta, necessariò requiritur, ut inter Compendia seu rudimenta & artes ipsas sit conformitas & symphonia harmonica, tum quod ad præcepta & doctrinæ præcipua capita, tum quod ad methodum & ordinem attinet. Debet etiam institutio esse duplex, rudimentaria, quæ rudimentis inculcandis, & artificiosior, quæ ipsis artibus docendis & integrè tradendis sit conveniens, & illa huic planè consentanea. Partes deinde hujus communicationis doctrinæ sunt institutio in artibus & exercitatio: illa præceptorum veritatem & intelligentiam; hæc $\delta\iota\pi\lambda\omicron\epsilon\iota\omicron\nu$, & usum propositum habet. Harum quoq; posterior extruitur & deducitur ex priorè, eiq; ita respondet, ut ejus legibus omnino regatur. Institutio in arte perficitur præceptorum prælectione & interpretatione ac inculcatione. Atq; hic primum

imum interpretatio. & explanatio est ipsorum præceptorum, eorumque paraphrastica, quæ instituitur ad enucleandum & eliciendum sensum, & rerum, quæ iis præcipiuntur, intelligentiam, tum practica, quæ theoreticos intellectus mutantur in leges practicas, seu potius leges practicae & consilia, quæ artifex sequatur & ad quas suum opus conformet, ex Theorematis eliciuntur & exstruuntur. Secundo exemplorum in contextu præceptis adjectorum expositio & ad præcepta revocatio, qua primo theoretica veritas asseritur, theorematum intelligentia declaratur, usus ostenditur: deinde practicae legis theoremate comprehensa & ex ea deducta sanctio excutitur & in ipso exemplo observata demonstratur. Hæc exemplorum interpretatio & analysis quemadmodum & ipsarum regularum erit facilis, plana, & expedita: non tam subtilitati hinc studebit præceptor quam perspicuitati. Et hinc minimè ferenda est eorum arrogantia, qui non tam interpretantur artes, quam de iis declamant, & à quibus, quæ ad explanandum comparata esse debebant, instituuntur ad vanam ostentationem nescio cuius Eloquentiæ subtilitatis & acuminis ingenii.

Inculcatio deinde est, qua exposita præcepta inculcantur, ad hanc pertinent repetitiones, cum videlicet à pueris exigitur, ut repetendo præceptoris interpretationem exprimere conentur, suiq; ingenii vires experiantur, & industriæ specimen edant, tum sensum exprimendo, tum usum in exemplis monstrando: percunctationes, recitationes, disputationes cum commilitonibus de præceptis instituta.

CA

CAPUT 5.

De Exercitatione in artibus.

EXercitatio sequitur, γυμνοτεχνία, qua in artibus discipuli exercentur ad intelligentiā earum τεχνοποιδουσία partam notitiāq; stabiliendam & confirmandam. Hæc propriè ad βιβλιογραφία technosophicam facultatem instituitur: Hæc usum plenius demonstrat, & tota comparatur ad traductionem artium ad usum: quò scilicet maturè ad usus in vita necessarios, & utiles transferre, eas & revocare pueri discant: Et assuefacti ad usum progymnasticum, magis appositifint, ubi è Scholis prodierint in forum & Ecclesiam ad usum βιόχρησιν. Hæc facit, ut ex arte utilitas percipiatur, quæ sine hac rectè adhibita nulla prorsus ullius artis, etiam optima methodo instituta, esse potest. Hæc est quæ rectè instituta & adhibita artium doctrinam prius intellectam, ad verum usum & vivum actum deducit.

Instituitur autem rectè exercitatio hæc tum demum, cum rovocatur ad ipsarum artium leges & præcepta. Ita ut earundem illarum artium, in quibus instituti sunt discipuli, usus etiam cum illis celebretur, & in quibus sunt instituti in iisdem etiam exerceantur. Finis enim γυμνοτεχνίας est confirmatio ejusdem artis, cuius præcessit professio & traditio. Omnis igitur practica exercitatio conformabitur ad doctrinam theoreticam: ut intelligat discipulus se in ea arte, quam didicit, exerceri, sentiat etiam se animumq; suum non inani & ociosa cognitione imbui, & tanquam pictam fictamq; cœnam Heliogabali sibi apponi: Sed actuosa virtute artium instructiorem, & ad vitæ artificiosam atq; utilem actionem atq; operis arte conficiendi exhibitionem magis oppositum, & prudentiorem fieri. Neq; enim rectè consulere pueris, & eorum studiis censendi sunt, & de iis benè mereri, qui exercendo ab artis doctrina eos deducunt: Et quavis non re ipsa,
ver-

verbis tamen rationes exercendi ab artibus alienas tradunt.
Hinc enim fit, ut studiosi obstupefacti admiratione se jam in
novis artibus versari arbitrentur. Iisdem itaque legibus, eo-
rundem praeceptorum eodem ductu praxis & exercitatio,
atque etiam Theoria & cognitio gubernabitur & dirigetur.
Ad exercitationem hanc bene instituendam & hoc servari
necesse est, ut consentanea sit arti, ad quam illustrandam &
ad cujus virtutes demonstrandas instituitur. Sed & hoc est
in officio Praeceptoris suos discipulos $\nu\mu\nu\sigma\tau\epsilon\chi\nu\mu\omega\varsigma$ exer-
centis, ut saepe prodeat coram discipulis, & suam in artis,
quam docet, virtutibus exprimendis industriam, & solerti-
am ostendat: Sic enim non parum inflammabitur discipulus
ad similem & parem diligentiam.

Species Exercitationis duae sunt, Analysis & Genesis:
Illa opus jam factum retexendo resolvit, & virtutes artium
in ea adhibitas excutit, haec novum opus effingit, producit, &
efformat & artium virtutes novum opus ad earum leges
conformatum exhibendo exprimit.

Ad Analysisin pertinet Auctorum practitorum doctae
& ad artes illustrandas accommodata interpretatio & pra-
lectio. Recte instituitur Analysis primo, cum est Exe-
getica & comparata ad enucleandum auctoris sensum, quo
non intellecto, fieri non potest, ut virtutes artium in iis ad-
hibita, & earum ad similibus rerum tractationem accommo-
dandarum ratio intelligatur. Deinde, ut ad omnes virtutes
artium excutiendas sit accommodatior: totidem ejus partes
sint necesse est, quot partes artium, ad quas opus resolvitur,
& ad eas artes pertinentia omnia minima maxima excutiat.
Sic quemadmodum duae sunt partes Grammaticae ita duplex
etiam est Grammatica Analysis, Etymologica & Syntactica.

Tertio sic instituatur ut ad Genesisin sit quaedam pra-
paratio, & $\epsilon\iota\sigma\alpha\gamma\gamma\eta$, ad eamque viam sternat, & patefaciat
aditum. Omnis enim propter Genesisin Analysis instituitur.

C

Ana-

Analysis itaq; monstrabit virtutes Genesi imitandas & exprimendas.

Genesis est altera species exercitationis, qua novum artis opus effingitur, & qua novi operis effectione virtutes artis exprimuntur. Geneseos ut varia est & maxima utilitas, sic summa quoq; necessitas. Hec sola facit absolutos artifices. Hec sola optima discendi magistra est: Ad hanc enim pertinet exercitium styli præstantissimi illius docendi discendiq; magistri: hac sola omnis agendi celeritas comparatur: hac est cujus beneficio artium virtutes non sciuntur solum: sed etiam verè habentur, & ad usus necessarios tandem dexterimè revocantur. Huic subjicimus duo Exercitiorum genera: Alterum similis exempli, & imitationis astrictioris: Alterum Thematis dissimilis, & liberioris tractationis: & utriusq; summa necessitas, & fructus, cum rectè instituitur, uberrimus. Et imitationis quidem doctæ in utriusq; forma servanda (nam nihil ferè tam liberè tractari potest, hoc præsertim seculo, quo, si unquam verum fuit, verissimum est Comici illud: Nihil jam dici potest, quod non dictum sit prius: Cujus non ad imitationem alius alicujus jam tractati sit conformanda tractatio.) summa est tum necessitas tum utilitas varia. Primò enim discipuli ad imitandum bonos auctores assuefacti sentiunt se illorum auctorum, ut optimorum artificum similes evadere: pari se & eadem cum illis sermonis puri elegantia, ornamentorum Rhetoricorum flosculis, & dissertationis prudentia utendi in rebus tractandis; deniq; artium quarumlibet virtutes ad quodvis institutum suum ac propositum dextrè accommodandi, omnesq; opes conquistatas ad suum usum transferendi facultatem, consequi animadvertunt: & sic redduntur alacriores, animantur & instigantur ad acrem contentionem & certiores fiunt paratè jam sibi eruditionis, dum scilicet sciunt se niti & considerare illorum auctoritate, qui sunt doctissimorum judicio approbati, eorumq;

rumque consuetudine, quasi norma sua studia dirigi: gaudent quod habeant, ad quos recurrere, si quid exciderit, & quos citare auctores, si quando requiratur fides, possint. Quin etiam ad Praeceptorem hinc redibit utilitas, is enim majore cum auctoritate ac fide docebit, pueri enim dum vident probatissimos auctores ad imitandum sibi proponi, integram praeceptoris dictis fidem habent. Deinde etiam tum facilius erit magistris, tum gloriosius si non suo, sed clarissimorum auctorum more suos discipulos artium opera exhibere, earumque virtutes exprimere doceant: Nam multo expeditius discipulum assuesfaciet ad artificiosè, quicquid vel scribendo vel dicendo, scriptura vel voce tractet, instituentium, si quod perperam vel dixit vel scripsit, id revocando ad certi alicujus auctoris, quem praelegerit, exemplum, tanquam ad normam, corrigere possit, & quod omisit, quo ornare suam tractationem & opus potuisset discipulus, unde id & ex quo praelecto auctore petendum & ad suum institutum transferendum, ei commode inserendum fuisset, indicare ei queat praeceptor. Discipulus etiam ejusmodi correctionis formase in viam revocari letabitur, & gratissimo animo praeceptorem audiet, certior factus ab eo quam multa sint recondita in auditis lectionibus, & quam multa suppedient, quae ad suum semper institutum accommodare possit, & sic sua sponte ac ultro ad praelectas lectiones recurreret, eas saepe relegendo & repetendo, donec quicquid in iis est, sibi quam familiarissimum reddat, & sui juris efficiat, quod certe nisi fiat, verissimum hic erit illud quod è Catonis libris Columella citat: Certissimam esse paupertatem, cum alicujus indigeas, uti eo non posse: quia ignoratur ubi projectum jaceat, quod desideratur. Sed haec de utilitate & fructibus doctae imitationis, nunc ad ipsas species imitationis veniendum.

Astrictioris imitationis tractatio est, cum auctorem
ita imitamur, ut servata eadem ejusdem tractationis forma,
tantum illa convertatur ad aliam rem, quæ sit ejusdem ge-
neris cum illa, quam tractat auctor quem imitamur, eiq; pla-
nè similis. Hæc imitatio restringitur ad paucissimas in au-
ctore propositas lectiones, duas nempe vel summum tres. Et
astrictioris hujus imitationis forma est & consistit in tri-
bus. Primum in observatione & retentione ejusdem artifi-
cii, & formæ tractationis, item generis ad quod res pertinet,
identitate. Secundò, in restrictione ad paucas lectiones. Ter-
tiò, in accuratiore expressione totius lectionis, quam totam
eodem servato ordine ita imitatur discipulus ut audita le-
ctio vel una, vel duæ, aut tres suppedient omne artificium,
quod ad componendum Thema requiritur. Unde dicitur hæc
dem Auctori ein werck nachmachen.

Dissimilis & liberior tractatio est, quando imitatione
astrictiore dimissa questionem liberam sumimus de quibus-
libet rebus communi hominum judicio subjectis, & tractatu
utilibus, eamq; propria industria explicamus, ita tamen, ut
ab artium regulis minimè discedamus sed ad eas totam ex-
positionem conformemus. Habet autem hæc liberior tracta-
tio hanc rationem: ut quanquam cujuslibet generis res &
thema discipulo proponi possit, tamen necesse sit questionem
esse ex ejusmodi rerum genere, quæ & soleant ab idoneis au-
ctoribus tractari & tales, ut eas earumq; rationem & cogni-
tionem suo judicio assequi discipuli possint, sitq; eorum captui
accommodata.

Est itaq; primum dissimilitudinis forma in similitu-
dine rerum generis diversi, quæ facit, ut simili ac eadem tra-
ctationis forma, quam cernimus in aliis auctoribus, tractari
possit, hoc est, ut ad imitationem bonorum auctorum tracta-
ri quidem possit, sed illa imitatio non sit astricta ad unam,
duas, tresve lectiones, nec etiam ad unum certum auctorem
alli-

alligata, sed liberior, quæ ita instituat, ut quicquid conve-
niens instituto operi ex diversis auctoribus incidat, id adhi-
beri & ad imitationem licite trahi possit: & hæc doctissimæ
imitationis species, ut artificio singulari regenda sic singula-
rem & ingentem habet utilitatem: ut enim imitationis astri-
ctioris exercitio excerpuntur fructus unius lectionis, & ad
usum transfertur quicquid artificio ab auctore in ea adhibi-
tum, ab interprete autem observatum & monstratum, à di-
scipulo perceptum ac cognitum: ita hac imitationis specie
excerpuntur fructus ex multis Auctoribus & multis le-
ctionibus, quorum fructuum perceptione dici non potest,
quantopere exhilarentur pueri, & quanta in illis continuandis
labores studiorum excitetur alacritas.

Secundo dissimilitudo posita est in tractationis forma:
liberius hic discedit, & suis quasi pedibus ingreditur puer,
hoc est, non ad eam formam & modum tractationis, quem
servaverit unus aliquis, alligata est hæc liberior tractationis
forma: Sed id tantum curat discipulus, ut forma tractatio-
nis sit docta & artificiosa, & quia talis esse cupit, quales no-
vit esse probatissimos auctores: etiam si illorum vestigiis non
usquequaque insistat bona tamen & ab illis frequentata tracta-
tionis forma, quæ nihil reprehensionis metuere, & subire in-
trepidè cujusvis judicium possit, utatur. Sed ut ad exercen-
dum discipulos utraq; exercitationis specie præceptor sit in-
structior, proderit, si lectiones, quas prælegerit, ediscat ipse,
quò nihil in eis sit ad quod imitandum discipulos remittere,
eisq; monstrare, quandocunq; res postulat, & subito quidem
non possit, sitq; expedita semper & prompta instruendi disci-
pulos ejus industria & solertia. Sic etiam fiet, ut interpo-
sita inter sese & discipulum prælecti oratoris vel Poetæ au-
thoritate, correctionem suam corroboret: Discipulus de fide
sui præceptoris certior factus majori illum audiet cum fru-
ctu, sine tergiversatione de illius auctoritate & fide plenissime

per suafus, illius ductum in instituendis studiis sequetur, regi se illius consiliis sustinebit, & in illis acquiescet: Praeceptor auctoritatem sibi conciliabit, ad quam etiam, utpote rem maximè sibi necessariam, suam institutionem comparabit.

CAPUT 6. De Morum Gubernatione.

SEquitur pars altera institutionis & functionis scholasticae in gubernatione morum, quae non minus est necessaria, quam pars prior.

Nisi enim studiosi ita vivant, ut & studiorum tempore liberalioris institutionis & doctrinae utilitas & usus in vita conspiciatur & appareat, doctrinae communicatio, non erit satis appositae & idoneae ad *ΒΙΟΧΡΗΣΙΝ* prudentiam & translationem artium ad usus in vita utiles *Εισαγωγή*. Ut igitur studiosi artium cognitione imbuti, idonei aliquando sint in *Repub.* non solum artifices sed etiam boni cives, & ad omnes vitae usus apti, discant in Scholis studiorum tempore certis legibus vivere.

Est autem gubernatio morum pars altera institutionis & functionis scholasticae continens vitae ac morum conformationem pietatis ac virtutum doctrinae convenientem.

Et proinde exigenda est ad normam legis divinae, & ad praecepta Ethices Christianae.

Ad normam legis divinae, quo maturè assuescant artem, quam discunt ad Dei creatoris gloriam referre & convertere, quò, inquam, ad reverentiam DEI & divinae legis assuefacti, artium usum legibus verae pietatis regere & moderari discant. Et quo progressus in salutari sapientia sit major, eadem pietas moderetur vitam studiosorum artis, quae olim sit necesse est artium usus & usurpationis magistra ac moderatrix in civili vita ac functione Ecclesiastica. Ad leges
mora-

morales & Ethicæ Christianæ: quò ad eas dum Scholæ cives
sunt vitam instituendo, meliores aliquando cives sint in po-
litia & Republica illa majori. Vivant hîc certis legibus, ne
aliquando *αἰσθητικῶν* affectent in Repub. assuescant legum
jugo, & ferre discant leve illud onus legum Scholasticarum,
ne legum politicarum aliquando jugum videatur grave &
intolerabile. In scholis legum tanquam cancellis vita pueri
sit circumdata; fervor puerilis cupidinis cohibeatur: ut re-
pagulis similibus virilis ætatis audaciam ad majora fa-
cinora includi aliquando patiatur. Jugo legum, dum scho-
le discipuli sunt, colla subjecta adolescentes habent, ne adul-
ti legum politicarum impatientes effractis illarum repagulis
seditionem in civitate moveant & excitent. In Schola di-
scant officia Justitiæ exhibere condiscipulo & sodali: quo eri-
am rectius aliquando civibus & æqualibus in Repub. di-
scant revereri Præceptorem & Scholæ magistratum, quo
olim in Repub. & civitate vereantur magistratum &
principem.

Ceterum hæc pars altera institutionis Scholasticæ de
gubernatione morum complectitur nomothesium Scholasti-
cam, & legum præfixarum prudentem ad Scholæ regimen
accommodationem.

Nomothesia requirit prudentiam justas utiles, ne-
cessarias, & idoneas Scholæ regendæ ferendi leges. Justæ
sunt, si conveniunt cum legibus divinis, & sanctionibus
æquitatis ac justitiæ politicæ, sintq; illarum legum, quibus
Respub. & civitates gubernantur elementa, & ad eas
ἠθολογία quadam.

Eadem officia præcipiant, quæ præcipiuntur legibus
civilibus aut certè his similia. Utilitas respectu puero-
rum (nam de Præceptorum officio diximus capite quarto)
consistit in accommodatione ad puerilem ætatem, hoc est
ad formandos puerorum mores, & corrigenda vitia.

Tales

Tales sint, quæ opponi possint vitiis puerilis, & ad pueriliter peccandum proclivis & pronæ ætatis & proportio sit inter vitia seu delicta puerorum, & leges ipsas, inter morbum animorum puerilium & remedia. Quæ his legibus sancuntur, sunt duorum generum. Primi generis sunt virtutes & officia pietatis ac justitiæ. Secundi generis alia ad regimen necessaria νομοθετήματα: illa præcipiuntur: hæc prudenter decernuntur. Constant igitur leges Scholæ præceptionibus & decretis. Præcipiuntur virtutes omnes tum quatenus communiter pertinent ad vitæ morumq; integritatem & honestatem: tum quatenus peculiariter concernunt vitam scholasticam. Sic præcipiuntur officia primò pietatis erga Deum, hæc sunt omnes studiorum labores ad Deum rectè agnoscendum, agnitumq; piè colendum referre, & tanquam ad scopum dirigere, Deum qui studia secundet, precibus piis invocare: ea quæ de vera religione in Schola traduntur diligenter discere, pietatis exercitiis delectari, deniq; studia artium pietate quasi condire. Deindè obedientiæ erga præceptores, & justitiæ erga commilitones. Tertiò officia docilitatis φιλομαθίας & φιλοπονίας, hæc ut discipuli exequantur, sese totos studiis & Musis consecrabunt, ac devovebunt, omnesq; conatus, omnes ingenii & mentis vires artibus discendis destinabunt, omnia studia ad artium solidam & veram cognitionem conferent præceptorem diligenter auscultabunt, omnes labores fortiter suscipient, & molestias devorabunt, acriter ad propositam metam contendent, quicquid à præceptore injungitur, alacriter exsequantur, nullis difficultatibus sese absterreri patiuntur, In primis ut suū ipsi profectum cernant, certo ordine suos labores instituent, distinctarum artium studiis distincta tempora attribuent & destinabunt. Quarto, temperantiæ etiam & modestiæ officia nostris legibus præcipimus, quam declarant personam scholasticam pro dignitate sustinendo ac tuendo, turpes voluptates fu-

res fugiendo, nullam petulantiam, nullam immodestiam in oculis cujusvis defigendo; sed omnem proterviam, & quicquid contaminat vitæ scholasticæ sanctitatem, vitando.

Quæ decernuntur legibus scholasticis sunt, quæ ad bene constituendam scholam & δὲ ταξίαν in ea servandam ac fovendam, atq; ad promovendum, & rectè administrandum studia puerilia pertinent: hæc sunt, recreationes scholasticæ, quibus animi discipulorum studiis gravioribus fessi refocillantur, & alacritas redintegratur per exercitia tum Musica, tum corporis, ut sunt ludi liberales & pueris concessi.

Deinde præmia decernenda virtutibus & pœnæ vitii: his enim, ut Respub. sic etiam scholæ continentur: hæc sunt tum laus, quæ debetur studiosis, & comitatur philomathiam & polymathiam: & Βεῶβῆα, quæ solennibus congressibus ac panegyricis solennitatibus distribui solent. De reliquis scholæ decretis nihil hic dicimus.

Atq; hætenus nomothesia scholastica: sequitur accommodatio promulgatarum legum, & attemperatio prudens per scholæ regimen ad studiosorum mores & vitam.

Hæc attemperatio tum generalis tum specialis. Generalis cum tota secundum leges disciplinæ, gubernatio morum accommodatur ad pueritiam & adolescentiam. Secundò cum adhibetur lenitate & paterni affectus declaratione mitigata severitas: & gravitate ac justa severitate temperata lenitas.

Specialis, cum speciatim certorum & singulorum etiam privatim ratio habetur, sic aliter in officio continentur, & tractantur ignavi; aliter diligentes; aliter refractarii & rebelles, & tam rigidis præditi naturis, ut metu retineri velint; aliter morigeri & generosi, qui laude ducuntur per viam celsam: aliter stupidi; aliter ingeniosi & solertes.

D C A.

CAPUT 7.

De Catechesi & Catechetica institutione.

Primum & ante omnia in Pædagogo doceri debet & inculcari pueris Catechesis, quò prima Christianæ religionis & pietatis Elementa statim & uná cum artium rudimentis imbibant: imbuantur doctrina recti de DEO sensus, & veri in eum cultus: sic magis idonei erunt ad exigendum studiorum labores, ad præscriptum veræ religionis: Sic schola erit officina, in qua formentur, & ex qua prodeant non solum artifices τεχνόσοφοι, verum etiam veri Dei cultores.

Sed in Catechesi, quæ docenda, requiruntur duo:
I. Ut sit brevis & perspicua, conveniens captui rudiorum, & Elementarem tantum doctrinam pietatis contineat. Sic enim hîc erit proportio inter doctrinam & captum discipulorum, & quo intellectu sit facilius, necesse est ut sit Methodo illustri disposita, & capita religionis in ea sint clarissima directissimaq; ordinis, dispositionisq; via explicata.
II. Consentanea Theologiæ: nihil in ea tradatur, quod non sit analogon fidei & veritati, quæ est secundum pietatem: sit Bibliorum & librorum Prophetarum ac Apostolicorum Epitome & ad veram pietatem Esagoge & concinna introductio, sit capitum orthodoxæ religionis breve & prudenter concinnatum Syntagma.

Huic docendæ discendæq; certæ debent destinari certorum dierum horæ, eaq; cura demandari Præceptori Theologo qui pia eruditione, & erudita pietate præditus, ea, quæ ad pietatem pertineant, communicare cum discipulis, & ejusdem notitiæ veri Dei & felicitatis humanæ, cujus summa in solida DEI cognitione consistit, consortes facere cupiat

piat

piat alios, & ex religionis ac verae pietatis propagatione
capiat voluptatem, id quod verae pietatis proprium est.

Expedit autem Catechismum germanicé & vernacu-
le proponi in Classibus inferioribus: In superioribus ordini-
bus utiliter poterit adhiberi latina institutio: Sed ea ita per-
fecta & plena erit, ut Commentariorum & exegetarum
prolixitate non sit opus. Proderit autem, quo Institutio
proprié sit Catechetica, per interrogationes & responsio-
nes doctrinam Catechetica[m] proponere, suntq[ue] diligenter
assuescendi pueri ut recitent capita Catechismi, expedité
ac prompté, non perfunctorié, sed consideraté & attenté, ut
recitatio adhibito iudicio sit temperata, quæ præ se ferat do-
ctrinæ intelligentiam. Sed & exercitatio quedam h[ic] est
necessarió adhibenda, & minimé negligenda. Ea est in
reductione locorum biblicorum, sententiarum & dictorum
sacrae scripturae ad Catechismi capita, & collatione scripto-
rum biblicorum cum Catechetica doctrina, & hac analy-
sis: cujus fructus, ut postea etiam dicetur, duplex. Primó
stabilitur doctrinæ Catecheticae per eiusmodi collationem
auctoritas & certitudo. Deinde h[ic] mutua illustratio est,
cum locus biblicus Catechesi additus tanquam exemplum
illustrat eam: Vicissim loci biblici ad Catecheseos capita re-
vocati sententia apertius intelligitur, sensus enucleatur, do-
ctrinâ, quam continet, monstratâ. Quin etiam praxis
h[ic] quedam est, eaq[ue] primó in tractatione capitum doctrinæ
Catecheticae, cum ea explicantur & scribendo tractantur, &
exponuntur, ac locis biblicis illustrantur. Veruntamen
praxis Catechetica, ea est potissima, ut de quo in Catechesi
pueri docentur, id, quoad ejus fieri potest, vita & moribus
exprimant: ex præscripto ejus D E V M salutari ejus noti-
tia imbuti, & veram cultus rationem intelligentes pié co-
lant, & charitatis seu dilectionis officia, erga proximum
exerceant.

Hujus Institutionis Catecheticae varia est & summa
necessitas ac utilitas, si scopus, ad quem referenda est, con-
sideretur, is autem est, ut non tantum scholæ discipuli ad
DEI cognitionem perducantur, quæ ubi deest, nihil est,
quod hominem sustinere possit & ejus piè colendi rationem
teneant: sed ut ad alios etiam utilitas ex hac institutione re-
deat.

Nam si Catechesis in scholis legitime doceatur, inde
etiam maxima commoda redundabunt ad familias ipsas.
Gignet hoc scholasticum studium & exercitium pietatem in
vita œconomica, patres enim ac matres familiarum cernen-
tes, & re ipsa experientes liberorum suorum in vera pietate,
quem in scholis faciunt, progressum, idq; si vel tantillum
pietatis in illis est, non sine singulari voluptate, piaq; &
sancta letitia, excitabuntur & ipsi ad pietatis exercitia
in suis familiis instituenda. Sed quam utilis & necessaria
sit Catechetica institutio, id incommoda ejus in plerisq; scho-
lis seculis superioribus neglectæ aperte & evidenter demon-
strabunt.

Hinc enim factum est, ut functio scholasticæ quæ cer-
te præclarum in repub. munus est, non vulgò tantum sic
fastidita, sed etiam apud pios alioqui, & cordatos, nec malè
erga publicam salutem affectos homines in contemptum ad-
ducta: Hinc etiam accidit, ut in juventute, quæ nulla reli-
gionis doctrina imbuebatur, una cum ætate creverit Cyclo-
pycus veræ religionis & Dei contemptus, & ex scholis, quæ
officinæ pietatis esse debent, prodierint sæpè pessimi nebulos-
nes & bipedum nequissimi.

Non exigua igitur cura scholarum præfectis conferen-
da est ad institutionem Catechetica, & educationem pue-
rorum in vera religione.

CA.

CAPUT 8.

De Musica & Arithmetica.

Quo ad Musicae & Arithmeticae studium attinet, et si illae cognitae artibus generalibus certius discerentur; tamen cum harum usus sit ferè quotidianus, & proinde maturè inchoandus, sic rem agendam censemus ut quemadmodum Catechismi tractatio communis est omnibus classibus, exceptis Dialectica & suprema: Sic etiam Musica & Arithmetica in pluribus classibus communiter exerceantur, & illa quidem omnibus classibus communis est: praelectio inchoanda in ultima classe Grammatica; in reliquis deinceps continuanda. In Arithmetica autem vulgari exercitationem etiam respectu certorum discipulorum primus ordo postulat. Deinde praelectio in Classe Rhetorica & Logica inchoatur, absoluitur in suprema.

Ceterum Musica committenda Magistro non tantum artis, sed etiam artificiosè cantandi perito: Qui non docere tantum, sed praecipuè cantare & periti Cantoris officio defungi possit, ut profit Ecclesiis, & Scholis placeat. Placebit autem & proderit, si non canere tantum ipse, sed discipulos docere possit tum suavitate & artificiosè modulari. Quae Musica Praceptorum maxime perspicuorum paucitatem requirit; πρῶτῃς doctam cantionem, & discipulorum exercitationem. Musices usum imprimis referimus ad doctam & artificiosam Psalmodyam quae tum in vita utilis, tum in Ecclesiis necessaria est, ad decorum in publico cœtu servandum.

Dabit igitur operam Praceptor Musicus, ut Psalmi in Ecclesiis canantur non εἰρη, sed ὡς τὰ τέχνη, ut canat non clamet Chorus: ut ora non distorqueantur sonorum gravitate: neq; hiulcent barbarorum vocalibus aut diphthongis: ne in ore & faucibus quicquam appareat, quod turpe sit.

CAPUT 9.

De Grammatica Institutione.

POST religionis doctrinam Catechetica in Schola particulari docenda ac tradenda sunt primò & præcipuè artes dicendi seu Logica, quæ ad scientiam reliquarum aditum patefaciunt, earumq; tractandarum modum præscribunt: his deindè & reliquæ artes suo quæq; ordine subjiciendæ. Prima ex artibus dicendi est Grammatica latina. Illa igitur primùm ad comparandam latini sermonis puritatem doceatur & exerceatur. Latina enim linguæ usus necessariò & in primis requiritur, idq; in omnibus Reipub. partibus, sive religionem & jura & leges politicas, sive liberales & ingenuas artes, sive varia & plurimorum populorum commercia consideres: quippe doctrinarum documenta, legum instituta, latinè in scholis docentur & discuntur.

Quin etiam Europæ Christianæ communis est, cujus communionem tanquam publico aliquo ac sacrosancto fœdere tot nationes & gentes licet linguis singule dispares, attamen univèrsæ continentur ac conjunguntur, & hoc veluti facundo interprete inter se colloquuntur. Huic, ut superius attigimus, præter rudimentorum primam Classem, tres reliquæ inferiores destinantur. Cæterum quid ad Grammaticam rectè docendam & pueros in ea exercendos pertineat paulò accuratius dispiciendum primò quod ad ipsam artem attinet, cum in omnibus aliis: tum verò in Grammatica requiritur non tantum perspicuitas sed in primis præceptorum generalissimorum paucitas, & succincta ac exquisita brevitatis. Irritus enim est & ineptus eorum conatus, qui quæcunq; ad benè loquendum pertinent, regulis comprehendere aggressi sunt, cum ea præceptis includi non possint omnia, sive voces singulas earumque proprietates & usum, sive conjungendarum & coagmentandarum rationem spectes.

Multa quoq; ejusmodi sunt, ut præceptis includi se non
patian-

patiantur; quædam etiam si includi præceptis utcumq; possent, tamen propter varietatem ac quodammodo infinitatem eorum, quæ singularem rationem habent, non possunt comprehendere regulis; nisi quis artem meditetur exhibere, & describere conetur, quæ infinitis constet præceptis. Sed quid attinet rem etiam in vulgus notam pluribus comprobare. Duplex experientia satis docet verum esse quod dicimus: puri sermonis scilicet facultatem non aridis Grammaticorum præceptionibus ediscendis & cognoscendis, sed observatione, exercitatione & crebra imitatione parari. Prima experientia sumatur ab ipsis libellis Grammaticis, quorum etsi infinita ferè multitudo exstet, & plaustra quædam librorum, nemo tamen ex omnibus scriptoribus artificium benè loquendi, ejusq; facultatem integrè descripsit. Collocata siquidem orationis ratio consistit tum in apta conjunctione verborum, tum in consecutione casuum, temporum illius autem præceptis nulla; hujus verò ne centesima quidem pars est arte consignata.

Secunda experientia ab eis petitur, qui arte tantum loquuntur. Hi enim cum multos annos, multos labores in his studiis consumserint, vix inchoatio aliqua si conferantur cum integris castisq; auctoribus, nedum perfectio in eorum scriptis & sermone apparet. Neq; tamen ita observationem amplectendam censemus, ut præcepta rejiciantur, & ab iis studiosi arceantur & deterreantur: Sed hoc affirmamus aditum præceptis tantum ad linguas aperiri; observatione verò sola ad exitum perveniri.

Optimè igitur studiis puerilibus meo judicio consulatur: si præcepta Grammaticæ proponantur, quibus deducuntur ad veterum latinorum qui purè locuti sunt, auctoritatem & consuetudinē, eosq; doctè imitandi ratio monstratur. Est enim Grammatica non tam ars suis præceptis suppeditans loquendi facultatem, & informans regulis linguam, quàm doctrina
obser.

observandi sermonis puritatem & virtutes ab aliis adhibi-
tas. Deinde Grammaticam volumus prælegi non descriptam
obscuris & semilatinis carminibus: Nam quid tam præpo-
sterum, quàm artem purè loquendi barbaris describi præ-
ceptis: sed in qua quàm facillima clarissimâq; fieri poterit
oratione unumquodq; præceptum sit propositum. Præcepta
illustrabuntur exemplis, quæ ex optimis auctoribus desumpta
sint, non ficta. Ad utiliter docendam Grammaticam hæc
peculiariter requiruntur: primò ut plus studii & operæ im-
pendatur exercitationi, quàm præceptorum tractationi: in
hac parum; in illa multum temporis consumatur. Deinde
in Grammaticis ita instituantur pueri, ut cum latino sermo-
ne vernaculæ linguæ usus diligentissimè tradatur: idq; exem-
plo præstantissimorum auctorum Demosthenis & Ciceronis,
quorum hic, ut ipse testatur, lib. 1. de Officiis, semper cum
Græcis latina conjunxit. Sic fiet ut aliquando discipuli pares
sint in utriusq; sermonis, docti scilicet & vernaculi facultate.

Tertiò omnis institutio Grammatica ejusmodi esse debet,
ut ad eloquentiam aditum patefaciat, & ad eam discipulos
præparet. Et in primis etiam styli & scriptionis exercitium
hic requiritur: nam & hoc ad Eloquentiam viam sternit. Si
enim diu multumq; scriptitarint, & à scribendi consuetudine,
ad dicendum accesserint discipuli, tam expeditam consequen-
tur tandem loquendi facultatem, ut etiamsi subito dicant,
tamen quæ dicuntur, scriptorum videantur similia, & sermo
ac oratio fluat non secus, ac si de scriptore recitaretur.

CAPUT 10.

De prima classe, quæ octava ac infima.

HÆC prima classis, primordiorum litterarum institutionis
est, & veluti ingressus in Musarum Palæstram. Huic
desti-

destinantur pueri, qui annos infantiae, quos parentibus ad educandum liberos dandos esse cordatiores plerique censuerunt, egressi, & jam ad litteras per aetatem apti, ac disciplinae capaces ad Scholam primum ducuntur, & litterarum doctoribus committuntur. Haec distribuitur in duos quasi ordines. Primi ordinis grex discit primo pronunciationem litterarum, quam infimae classis praceptor ita feliciter inculcabit ac facilitatione docebit. Primo legitima ac clara litterarum tum vocalium, tum etiam consonantium pronunciatione pueris saepe praebit, & ab eis deinceps exiget, ut praecedendo monstratam a se pronunciationem litterarum accurate imitando recte earum sonos exprimant. Deinde ad proprietatem & vim litterarum apertius demonstrandam in tabula etiam eas proprio ac nativo caractere depinget.

Et haec quidem ad legitimam litterarum pronunciationem, quae litteratae institutionis initium, assuetudo & diligens institutio necessaria ad puerum recte introducendum ad sermonis puri facultatem. Et certe permagni interest Latinae praesertim linguae veros litterarum sonos intelligi: ut non solum Priscianus & Terentianus ac alii veterum Grammaticorum praestantissimi qui in suis scriptis testantur: sed etiam linguae hujus in diversis nationibus obscuritas & confusio aperte demonstrat, & qui negat necessariam esse, ille sonescire, quid sit littera, haud obscure significat. Sed & Cicero ad Latinae linguae puritatem hanc accuratam litterarum pronunciationem pertinere docet: ejus enim 3. de Oratore haec sunt verba: Nolo exprimi litteras putidius: nolo obscurari negligentius. Sonus itaque cujusque litterae, ut nobis accurate disquirendus: sic etiam pueris summa accuratione imprimendus ac inculcandus. Sonis litterarum ita probe cognitis secundo discit rationem e littera tum una tum pluribus formandi syllabam, eamque etiam recte sonandi ac pronuncianti; & haec eodem modo, quo litterarum pronunciatio a pra-

E cepto

ceptore docebitur. Santq̄ maturè assuefaciendi pueri ad re-
ctam syllabarum pronunciationem, ut tria vitia per scholas
admodum trita possint vitare: primò confusionem syllaba-
rum cum litteris; deinde litterarum ejusdem syllabæ distra-
ctionem; tertio omissionem litterarum in pronunciatione
syllabarum. Nam in lingua latina, ut integritas syllabæ è
litteris tanquam suis partibus constituitur; sic legitime non
pronunciatur; nisi omnes in ejus sono & prolatione litteræ
sonent & audiantur. Ex syllabis deinceps formare discunt
integras voces, quas ritè pronunciant, omnes syllabas legi-
time formatas efferendo, & sic ad lectionis expeditæ facul-
tatem preparantur. Et hic primus quasi ordo hujus classis.

Secundus deinde ordo succedit, qui ad expeditæ lectio-
nis facultatem plenius instituitur, & scriptionem etiam ac
latinae locutionis exercitium inchoat. Hic itaq̄ ordo primò
in legenda oratione notas distinctionum, quibus periodi à pe-
riodis; cola à colis; commata à commatibus distinguuntur,
observare assuescat, quò illis inter legendum observatis di-
scat legitimam orationis pronunciationem, quæ consistit in
artificiosa periodorum à periodis; membrorum à membris;
commatum à commatibus per Spiritus depositionem & su-
spensionem distinctione: ad quam legendi rationem pueros
à primo statim litterata institutionis anno & initio esse dili-
genter assuefaciendos, qui negat arcis ignorantie & barba-
rae lectionis propugnatorem se profitetur: & id è scholis ex-
terminatum cupit, quod præstantissimi quiq̄ Scholarum mo-
deratores. P. Melanchthon, Camerarius, Sturmus tanto-
pere observandum judicarunt. Neq̄ tamen præceptis hanc
pronunciandi rationem doceri volumus: sed ita eam pueri
discent, ut usu potiùs quam arte sciant.

Nam imperitus hic popellus consuetudine & exemplis
ducendus, non ratione & præceptis informandus. Secundo
salamum manu apprehendere pueri & litteras cum sigilla-

Sturm.
de litt.
Iud. rect.
aper.
cap. 15.

tum depingere, tum etiam apte conjungere hic docebuntur,
 adhibita ad id tabula nigredine infecta, ad quam litteris ac-
 curate ducendis possint exerceri. Tertiò vocabula rerum,
 quæ in quotidiano usu versantur, addiscent. Quin etiam
 fari latinè & colloqui cum præceptore incipient. Atque hic
 in præceptoris officio maximè est liberalis & ingenui pueri,
 priusquam ad vocum flexiones admittatur facilioribus illis
 rerum maximè notarum vocabulis, tanquam lacte & cibo
 teneriore in os inserto, ingenium discendi avidum, nutrire
 & alere, & os tenerum ad latini sermonis facultatem pau-
 latim in formare. Ita exercitati paulatim etiam inchoa-
 bunt flexionum formulas & paradigmata. Cæterum huic
 primæ classi, ii etiam destinantur, qui ad altiores classes non
 aspirant. Hi peculiariter & seorsim primò habent lectio-
 nem Catechismi novi Testamenti & Psalterii, item histo-
 riarum germanicarum, atq; germanicam scriptionem: De-
 inde & praxi Arithmetices vulgaris exercebuntur.

CAPUT II.

De Secunda Classe.

EX prima classe transferuntur ad secundam: hic primò
 lectionis & scriptionis exercitium continuabitur, quo
 expedita utriusq; facultate, lectionis & elegantis scriptio-
 nis instructi, transferri & admoveri ad sequentia utiliter
 possint. Deinde quæ propria hujus classis sunt addentur.
 Sunt autem propria hæc: Primò exercitatio duplex ad paulò
 pleniorè latinè loquendi facultatè parandam instituta.
 Secundò inchoatio Rudimentorū latinæ Grammaticæ Exer-
 citatione prima vocabulorū & phrasū supellæ & copia com-
 parabitur. Ad hanc duo necessaria sunt. Primò conficietur &

E 2 adhi-

adhibebitur liber alphabeticus, in quo ordine litterarum, A, B, C, D, E. servato etiam generum & specierum vocis ordine etymologico, secundum quem libellus iste in certos quasi nidos seu capita distinguendus, vocabula digerentur, additis etiam vernaculè significationibus singulorum, ut hinc vocabula velut è thesauro, in quem sint reposita & recondita depromi possint, quæ ediscantur & ex illo in thesaurum memoriæ transferantur & reponantur. Neque contenti singulis vocibus phrasæ etiam notabunt, easq; vel distincto & peculiaris sui libelli capite digerent, & seorsim scribent; vel vocibus ipsis addent, quò ex illis vocum usum & vim intelligere commodius possint. Deinde requiritur ut singulari cura non solum propriæ vocum latinarum significationes doceantur, sed etiam quæ vulgaris, id est, linguæ vernaculæ voces latinis respondeant ostendatur. Quod ut rectè cognoscant pueri plurimum exercendi sunt reddendo voces latinas vernaculis, & has rursum latinis.

Nam hic primus gradus ad intelligendum discrimen vernaculi & latini idiomatis, quod ad puri sermonis & utriusq; linguæ facultatem parandam in primis est necessarium. Sic etiam discere incipient, quæ nomina idem genus & numerum in utraq; lingua retineant, quæ item mutant & alio genere & numero efferantur apud latinos; alio apud germanos, ut scopæ scalæ nuptiæ, litteræ apud latinos pluralia; apud nos singularia sunt, sic genus mutant sol & luna. Sic etiam cognoscetur discrimen idiomatis, quod est in linguis ratione articulorum & particularum, quibus latina caret, vernacula non item. Nominibus *Ein* / *Der* / *Die* / *Das* / Verbis personæ *Ich* / *du* / *er* / *wir* / *ir* / *sie* in vernacula lingua præponuntur. Secunda species exercitationis est per quam inchoata in præcedente classe vocum flexio hic tum perficitur, planè & absolute docetur, tum vero ad puri sermonis virtutes intelligendas traducitur. Plenius docendæ &
absol-

absolvende hæc ferè ratio est. Non solum in paradigmatis
 detinentur, & iis exercentur; donec omnium inflexionum
 exempla probè teneant, & multa variaq; nomina ad ean-
 dem analogiam declinare & verba conjugare sciant: verum
 etiam adjectiva substantivis adjicere discunt, etiam diver-
 sarum declinationum; neq; solum ordine casuum, sed aliquan-
 do saltuatim de hoc ad illum casum, prout fuerint rogati, do-
 nec probè respondere sciant, idq; mira dexteritate, nec opina-
 tione. Ad sermonis puri facultatem traducitur bifariam: Pri-
 mò cum inter flectendum tam verbis quam nominibus addi-
 tur interpretatio vernacula, idq; per omnes utriusq; numeri
 casus in nominibus, per omnia tempora & utriusq; numeri
 personas in verbis. Secundo per doctam exercitationem in
 hac vocum flexione imbuuntur cognitione diversitatis idio-
 matum linguarum latinæ & vernaculæ, & sic instituuntur
 ad utramq; simul & eadem opera discendum & expoliendum.
 Id quod commodè fiet: quia flexione nominum ab industrio
 præceptore ita prudenter instituti, discunt plenius cognoscere
 genus, ubi idem maneat in nominibus, ubi mutetur, nam id
 ex casibus obliquis potissimum apparet. Item rationem for-
 mandi & variandi casus in lingua nostra. In qua aliter
 masculinorum; aliter fœmininorum; aliter substantivorum;
 aliter adjectivorum casus formamus. Pons & mons latinis
 ejusdem generis, ejusdem declinationis per omnes casus, in
 genitivo pontis, montis: at apud nos diversè: dicimus geni-
 tvo montis des Berges / pontis der Brügggen / quia alte-
 rum est nobis masculinum, alterum fœmininum. In adje-
 ctivis & substantivis apertius apparet ejusmodi diversitas,
 ut bonus vir, in genitivo boni viri, terminatione sunt simi-
 les; at nobis dissimiles: dicimus enim des guten Mans.
 In verborum autem conjugatione diversitatem idiomatis
 intelligunt tum ex formis verborum & temporibus ibi enim
 apertissimè sese prodit, tum etiam ex personarum differen-

tiis, quin etiam ex honesto illo solacismo, quo nos secunda
plurali utimur etiam uni loquentes; latini non item. Et hæc
omnia doctus institutor pro sua prudentia monstrabit in-
ter flectendum, & exercitatione pueris inculcabit præceptis
comprehendi nec debent nec possunt. Et hæc commodissima
est ratio primam & elementarem puerorum institutionem
etiam ad puri sermonis & quidem utriusq; parem facultatem
consequendam accommodandi, quam, qui in scholis esse ne-
cessariam negat, quid sit ad sermonis puri facultatem insti-
tuere, non intelligit. Hæc duplex exercitatio: sequitur Ru-
dimentorum inchoatio. Proponuntur igitur huic classi pri-
ma & generalissima artis Grammaticæ præcepta: definitio,
distributio, definitiones partium, & specierum vocis & syn-
taxeos. Illa ad puerilis ingenii captum attemperata interpre-
tatione exponentur & à pueris ediscentur, deinde ad eadem
tum voces tum phrasés, quibus jam consuetudine & assidua
exercitatione uti didicerunt, revocabuntur, quò sic à consue-
tudine, qua hæctenus informati, incipiant deduci ad artem.

Et hæc foret secunda primordiorum classis, ex qua ad
sequentem non sunt transferendi pueri, nisi solidè flectendi
scientia imbuti, ut nihil illis omnino inflexibile sit præter ea,
quæ suapte natura flecti non possunt. Tam diu hic detinendi,
donec sibi copiam vocabulorum compararint rerum earum
omnium, quæ versantur in quotidiano usu, ut nihil videa-
tur in corpore hominis; nihil in pecudibus, nihil sit in culi-
na, nihil in cella vinaria & cerevisiaria, in frumentaria:
ad prandium, ad cœnam quotidianam nihil afferatur: nihil
in hortis conspiciatur herbarum, fruticum, arborum: nihil
in scholis sit usurpatum, nihil in bibliotheca, nihil in templis
frequentatum, quod pueri hujus ordinis, quo ad ejus fieri po-
terit, non queant latino nominare nomine & de eo etiam cum
præceptore confabulari. Ex iis autem quæ de utriusq; insti-
tutione à nobis dicta sunt jam satis, opinor apparebit, qualem
hæc duæ

hæc duæ classes primordiorum requirant præceptorem: Non
cilicet indoctum, qualis plerumq; præponi hujus ordinis pu-
eris solet, sed doctissimum & quidem in utriusq; sermonis fa-
cultate, qui facilius & clarius ab ipso fundamento common-
strabit quomodo ad hæc omnia perueniri possit, ut qui prius
ipse ad ea pervenerit.

CAPUT 12. De Tertia Classe.

ILLIS, de quibus dictum est, fundamentis ita jactis, se-
cunda progressio fiet ad classem Tertiam: ubi non tan-
tum loquitur puer, sed etiam cognoscere plenius incipit, quæ
de causa unumquodq; dicatur. Præceptionibus igitur hic
opus est, & exercitatione paulo accuratiore. Quocirca
etiam hic partes communicationis doctrinæ, institutio vide-
licet in artibus & exercitatio distinctius adhibendæ, id quod
in precedentibus classibus, in quibus imperitus ille popellus
regularum nondum capax consuetudine ducendus & exem-
plis fuit erudiendus, itidem ut in opificiis fit, fieri nec debuit
nec potuit. Institutio in arte hic erit rudimentaria, ut &
exercitatio: Illa perficietur prælectione & inculcatione ru-
dimentorum Grammaticæ latinæ, quæ non tantum integræ
Grammaticæ erunt congrua, sed etiam brevitate & perspi-
cuitate puerili captui & intelligentiæ accommodata, in quib.
præcepta non ad omnes exceptiones deducta, sed communia
duntaxat, tam Etymologiæ, quam syntaxeos proponantur.
Prælectio ejusmodi esto, primò præceptorum sensus familiari
interpretatione eliciatur, & vernaculè quæ fieri potest pro-
priissimè & apertissimè reddatur, simul etiam vis, qua ad do-
cendū bene loqui affecta sunt præcepta & sanctiones illorū in
loquendo observandæ comonstrantur. Deinde exempla verna-
culè primū exposita, ac deinceps latinè considerata præceptis
applicentur, & ad ea examinentur: sed hic videndū ut nō alia
interpretatione utamur, quæ quæ rudimentaria sit. Neq; ut
qui-

quidam facere solent, ex singulis exemplorum verbis arripiatur occasio evagandi in Physicam, historias, fabulas & longas narrationes: cujusmodi ineptiis nostras olim aures oppletas meminimus. Vitabitur etiam lectionum prolixitas, ne multitudine obruantur pueri, Sunt enim illorum ingenia velut vascula quaedam oris angusti, quæ superfusam humoris copiam respuunt, sensim autem si instilles facillime capient.

Et hæc prælectionis declaratio: inculcatio constat lectionum repetitionibus, percontationibus, recitatione & memoria.

Exercitatio rudimentaria sequitur: analysi & genesi perficienda. Ad analysin rudimentariam exercendam adhibebitur textus alicujus auctoris, qui perspicue & ad puerorum captum accommodatè, & tamen pure loquatur. Prælegentur Epistolæ Ciceronis breviores à Sturmio collectæ, addentur his dialogi vel Castalioni vel Corderii, assumi etiam interdum possunt faciliores versus ex Tibullo & Propertio. Hæc prælectio, quæ ad rudimentorum usum docendum attemperabitur, ut maxime fructuosa sit, constabit singularum vocum excussione, & sententiæ commoda versione.

Singularum vocum excussio est, quum discretè singulæ voces pro casuum & temporum ratione quantum utriusque lingue phrasis ferat, ad eliciendum sensum vernacule præceptor interpretatur. Commoda & decens versio est, cum omissa sermonis latini serie & idiomate sensus propriissime exprimitur & sententiæ optima fide redditur. Ex utraque facilis & expedita parandi latini sermonis copiam, & utriusque usum conjungendi ratio sequitur, si admonuerit fidelis institutor & interpretans præceptor, quid ratione phrasum & formularum loquendi lingua latina & vernacula commune habeant: Per multa enim sunt, quæ non aliter in una, quam in alia sonant: & in quo differant, atque ubi ratione phrasum & loquendi formularum discrepent: sunt enim multa etiam,
quæ

quæ aliter sonant in latina quàm vernacula. Hæc forma prælectionis ; huic subjiciatur resolutio plenior ad virtutes puræ locutionis accuratius paulò excutiendum. Hic primò prælectionis utraq; pars à discipulo reposcitur, ut eadem forma reddat, qua è præceptore audiuit : deinde singularum vocum proprietates ad Etymologiæ : conjunctarum convenientia & rectio ad syntaxis regulas revocatur. Tertiò etiam singularum vocum significationes observantur, phrasium ex conjunctis ratio & elegantia docetur. Secunda inculcationis plenioris ratio est, lectionis auditæ memoria & pronuntiatio. Hic præceptor adhibet curam, ut pronuntiatio sit expedita clara, distincta, in qua leges Grammaticæ pronuntiationis in spiritus suspensione & depositione accuratè serventur. Ejusmodi enim & ita accuratè instituta pronuntiatio Grammatica, teste J. Sturmio primus est ad eloquentiam gradus.

Tertiò huc pertinet, ut lectionem auditam, quo latinam orthographiam usû addiscat, scribendo discipulus imitetur.

Quartò versio in sermonem vernaculum, quæ hic saltem inchoabitur, in classe sequente perficienda. Vulgariter igitur pro ejus ætatis captu versam lectionem discipuli præceptori ostendent, qui in his laude digna non tacebit, quo virtus laudata crescat, quæ secus emendabit indicato errore ac monendo, ne in eundem recidant. Neque tamen, quia puerilis adhuc est & imperfecta hæc vertendi exercitatio, se nimis acré in corrigendo exactorem præceptor præbebit. Atq; hæc analysis rudimentaria: genesis sequetur. Ad hanc hic ritè exercendam pertinet similis sententiæ thema, quod, ut ad imitationem facilem accommodatum sit, habebit æquales & pares cum lectione periodos, erit similis partium consecutio: verba etiam non nunquam eadem: Deniq; simile lectioni tum quoad res & earum attemperationem ad tenelli ingenii vires, tum quoad voces & phrasas.

Id præceptor vernaculè primum ipse concipiet & emendatè

F

datè

datè describet, deinde pueris proponet & dictabit: Hi illud emendatè non perperam excipient & sribent, quod ut fiat poterit inter dictandum meminisse germanicæ Etymologicæ & Orthographicæ: ubi dicta vit, vocabit aliquem ex discipulis, qui prælectum clara voce relegat, ut cæteri omnes relegentis vocem exaudiant, dum relegitur, si quid perperam scriptum deprehenderit, id corrigendum curabit. Ad relecti & emendati compositionem deinceps sese accingunt. Compositioni intentus puer, quo ea facilius sit, respiciet ad auditam lectionem; ut inde sumat voces latinas & idoneas, phrasès etiam, easq; ad suum institutum accommodet. Neq; hic opus est pueris dictionario, ad quod statim conuolent: nam in eum finem præleguntur Auctores practici, ut ex iis & eorum scriptis tanquam ex medio usu depromantur voces, & phrasès, quæ ad imitationem traducantur, & sic cum optimis Auctoribus loqui discant, & eorum consuetudine ac ductu studium parandi puri sermonis facultatem dirigant.

Neq; tamen omnino à Dictionario puerum arcemus, præsertim cum dictio difficilior, quæ ex lectione non incidit, nec in ea fuit adhibita, exquirenda est: sed destitutus dictionario præceptorem consulat, is consulenti de vocibus difficilioribus respondebit. Compositum id thema & latinè redditum emendatèq; descriptum eadem hora, breue enim erit, præceptoribus exhibebunt & ostendent. Et hæc genesis rudimentaria conuersio videlicet sermonis in aliam sententiam. Hinc etiam apparet quis modus in prælectione seruandus, & quàm proluxa debeat esse lectio. Non proluxior videlicet, quàm ut eam hora pomeridiana repetere, sequenti die hora matutina recitare; & meridie scribendo imitari discipulus possit. Sed & paulò liberioris tractationis thema posteriori semestri in hac classe pueris utiliter proponi posse censemus, in quo tractando non ex una lectione, quod ad suum institutum accommodent, sed ex pluribus etiam depromere illis liceat.

Ex

Exiis, quæ de rudimentaria institutionis forma hæcenus
diximus, cognitu persacile est, qualis huic classi & curiæ
præficiendus moderator, qui scilicet non solum totam & uni-
versam Grammaticam intelligat, sed etiam in præstantissi-
morum auctorum lectione sit versatus, diu multumq; eos le-
gerit: aut certè simul ac susceperit hanc provinciam, legere
incipiat, quiq; adhibito iudicio ac singulari prudentia, ea, quæ
legerit, dextrè ad suam functionem & puerorum in sermonis
facultate instructionem accommodare possit: quo in loquendo
& scribendo Ciceronianam puritatem & elegantiam referen-
do, id quod à discipulis requirit, ipse queat præstare.

CAPUT 13.

De suprema classe Grammatica.

Rudimentis latinæ Grammaticæ probè cognitis, usq; &
exercitatione confirmatis, ad supremam & quartam
classem fit progressio. Hic Grammatica latina absolvitur, &
græca inchoatur. Quare etiam non incommodum & inop-
portunum fuerit, eam in duos ordines dividere, quorum prior
qui est eorum, qui ad hanc recens admittuntur, sex mensi-
bus prioribus latinam solam, eamq; omnem perdiscat: cuius
intelligentiam & memoriam ordo posterior sex mensibus po-
sterioribus confirmabit, cum eaq; suis horis lectionem græcam
& flexiones conjunget. Et absolvi quidem Grammatica lati-
na hic facile potest, quia antea magnam partem præcepto-
rum ex rudimentis tyro cognovit, quorum hic non nova &
operosa interpretatio, & inculcatio requiritur, sed tantum
memoriæ confirmandæ gratiâ repetitio instituitur, ut puer
nunc in addendis & supplendis reliquis unicè tantû laboret.
Cæterum Grammatica hic prælegenda sic integra erit, ut
præceptorum necessariorum nihil omittatur. Ratio &
forma institutionis & exercitationis ad communican-
dam & perdocendam integræ Grammaticæ doctrinam, huic

classi propositam partim communis cum superiore classe,
partim propria. Communis quatenus utraq; ad regulas &
leges in superiore classe propositas conformatur, propria ve-
rò quatenus peculiarem hic rationem habent, & propriis le-
gibus reguntur. Sic primò institutio hoc peculiare habet,
quod in prælectione Grammaticæ hoc requiritur, ut anoma-
lia diligenter referatur ad analogiam, & cum ea conferatur,
& quo pacto ab analogia discedere, & anomaliam sequi li-
ceat ut tamen oratio pura maneat, & non contaminetur so-
llecismorum sordibus, doceatur. Deinde exercitatio hinc etiam
tam in analysi, quam genesi artis absolutionem perfectio-
nemq; spectat. Nam necesse est, ut cum annis & ætate di-
scipuli ipsum quoq; studium accrescat. Si in præcedente
classe sex aut octo versus, duos aut tres puer ediscet; hic
decem vel duodecim versus, quatuor aut sex periodos ediscat.
Si illic sex vel octo versiculorum, duarum, trium aut qua-
tuor periodorum thema scribere didicit; hic decem, aut duo-
decim, vel 18. versus; sex aut octo, aut etiam decem, aut plu-
rium periodorum thema conscribat. Ad analysin exercen-
dam præleguntur Epistola Ciceronis, Vergilii Bucolica &
Elegia Ovidiana, in quibus prælegendis & interpretandis
analysis omnia minima maxima in Etymologia & Syn-
taxeos iudicium vocabit. Et ut Grammaticæ, cuius virtu-
tibus ostendendis destinatur, partibus consentanea sit, duplex
esto, etymologica & syntactica, atq; illa huic præmittatur,
nec præpostero ordine, ut à quibusdam indoctis præceptor-
culis fit, instituatur. Etymologica ostendit & excutit, quæ
singularum vocum vis & natura, quæ cognatarum differen-
tia, eaq; non tam curiosis Grammaticorum præceptis, quam
usu & exemplis Ciceronianis & Virgilianis docenda. Syn-
tactica non tam species convenientiæ & rectionis, nisi diffici-
liores spectat & indicat, quàm quæ adjectiva seu Epitheta
quibus adjiciantur substantivis, quæ ad verbia, quibus voci-
bus

bus convenienter adjungantur; quæ verba, quibus nomini-
bus gaudeant; in primis hic particularum (quæ dicuntur)
structura & usus attenditur: earum præcipue, quæ sunt vin-
cula, quibus sententiarum partes conjunguntur, sententiæ
aliæ aliis annectuntur, & orationum longiorum partes co-
herent & continentur: hoc est earum, quæ sunt vinculo-
rum dialecticorum symbola, quibus in axiomaticis enuncia-
tionibus; syllogisticis conclusionibus; & methodicis syste-
matis superioribus & præcedentibus annectuntur sequentia,
quod quia non fit, sed in scholis hæctenus à præceptoribus
neglectum, nec ab iis discipuli ad ejusmodi observationem
assuefacti sunt, ipsorummet certè culpa accidit, ut discipulo-
rum orationes scopis dissolutis sint similes. Est etiam in ana-
lytica auctorum interpretatione diligenter animadverten-
dum, si quid usus loquendi contra analogiam præceptorum
approbet, & contra si quid præceptis congruat, quod tamen
à loquendi consuetudine abhorreat. Sic instituta analysis
maximè ad genesis viam sternet, & ad ostendendum puræ
locutionis virtutes genesis exprimendas accommodata erit.
Sed hic etiam poeticæ lectionis analysis singularem rationem
habet, & diligentiam requirit, quò non tantùm ad demon-
strandam syllabarum quantitatem, sed etiam ad poeticam
docendam sic comparata, doceatq; intelligere pedes metricos,
& carminum genera, eorumq; ex pedibus constituendorum
rationem, quibus deinceps componendis discipuli exercean-
tur. Analysis genesis itidem conformis erit ad uberio-
rem usus celebrationem comparata: Erit autem duplex scriptio-
nis & locutionis. Scriptio-
nis genesis ejusmodi erit, ut com-
positio discipuli nõ solum artis regulis congruat, sed & omnes
puræ locutionis virtutes, quam fieri potest, simillimè ex-
primat. Ad hanc pertinet thema duplex imitationis nempe
& liberioris tractationis. Imitationis genesis bis in hebdoma-
de tractabitur, domesticæ scriptio-
nis exemplum & argumen-

sum singulis septimanis semel proponetur. In liberiori the-
matis tractatione discipulus jam suis quasi pedibus ingredi-
tur, nec tam respicit, aut sese astringit ad propositum autho-
rem, utpote jam certiore loquendi peritia instructus, sed libe-
rius ab eo discedit, & sua facultate fretus opus suum confi-
cit ex pluribus lectionibus, quod incidit, suo instituto dexter-
rimè & liberrimè accommodat. Ad locutionis genesin per-
rinet quotidiana & assidua latinè loquendi consuetudo, quæ
eò severius hîc est urgenda, quò majores vires habet ad ex-
peditam loquendi facultatem comparandam, quæ huic classi,
quo viam sternat ad sequentem Rhetoricam, proposita esse
debet. Ideoq; hic non solum vernaculæ linguæ locutio, sed ne-
glectæ etiam puritatis inertia severius punitur. Sunt etiam
tria exercitationum genera, quibus peculiariter hujus classis
institutio, ad excitandam in discipulis alacritatem, & com-
parandam sermonis puri, & quidem parem utriusq; latini &
patrii facultatem refertur. Primum est cum præceptor di-
scipulis, quos præ cæteris industrios & solertes animadver-
tit, injungit, ut suo Marte lectionem in auctoribus interpre-
tentur. Ipse interpretantes attentè audit, interloquitur, cor-
rigit, juvat, si quid occurrerit explicatu difficilius. Hoc mo-
do plus aget, quam si ipse prælegendò discipulo præeat. Faciet
hæc exercendi ratio, ut tandem non desint discipuli, qui pau-
latim absq; præceptoris adminiculo suos labores corrigere &
ad lectionem simile imitationis thema effingere & compone-
re possint. Secundum est versio auditæ lectionis in sermo-
nem patrium quæ inchoata in classe superiore, hîc accurabi-
tur & absolvetur, & quidem lectionis non Ciceronianæ tan-
tùm, sed etiam Virgilianæ. Dicit enim non potest, quàm pla-
nam & facilem viam ad eloquentiam patefaciat, latinæ ora-
tionis cura & vigiliis elaboratæ, gravibus verbis & sapien-
tissimis sententiis ornata, flosculis ornamentorum rhetorico-
rum perpolitæ ac variatæ, qualis est in illis auctoribus, doctæ
in ser-

in sermonem patrium translatio, praesertim si ea adhibetur
accuratio, ut servata eadem sententiarum gravitate, iisdem
elegantiae & ornamentorum flosculis & μὲν ὀρθίων ὀρnamen-
tis, hoc est virtutibus oratoris latinam illorum auctorum
orationem nostra vernacula reddamus & exprimamus. Et
hac interpretationis & versionis exercitatione in summos
evaserunt Oratores Demosthenes quoque & Cicero, & ex lin-
gularum doctarum, & earum, quarum cognitionem industria
acquisierant, cum patria collatione, summam bene dicendi co-
piam & vim consecuti sunt. Horum igitur, quorum alter te-
statur, se ad suam utilitatem cum graecis semper latina con-
iunxisse, imitatione si patrii sermonis usum cum latino dili-
gentissimè tradendum in Scholis censemus, nemo nos jure re-
prehendet. Tertium genus peculiaris exercitationis ad sty-
lum exercendum acuendum & expoliendum accommodabi-
tur, estque crebrae scriptio, ad quam ita assuescendi sunt
discipuli ut quicquid pronunciant, id primò in charta descri-
bant. Hec exercitatio ad ordine & perspicue loquendum &
dicendum magnam commoditatem affert, ut cap 9. diximus.
Et haec loquendi dexteritas res est profectò praeclarissima
nec tam difficilis paratu, ut quidam existimant, si modò in
classibus grammaticis ad eam erudiantur discipuli. Sic eosdè
illos Ciceronem & Demosthenem per omnes litteratae insti-
tutionis ordines progressos, ad eloquentiae culmen conscen-
disse Ramus in Ciceroniano testatur. Hoc modo puer ad di-
scendum aptus si instituatur: non dubium est, quin quatuor
aut quinque annis consequatur, quod his classibus praecipue est
propositum, videlicet, ut non solum latini sermonis praecepta
teneat, verum etiam expeditè loquendi facultatem adipiscatur.
Praeptorem haec classis requirit tantae eruditionis sibi con-
fiscium, ut architectum Ciceronianae locutionis profiteri se au-
deat, & instructum ea docendi dexteritate, qua possit os &
linguam pueri informare & imbuere solida & absoluta puri
sermonis facultate.

CA.

CAPUT 14.

De Classe quinta, in qua docetur lingua græca & Rhetorica.

Huc usq; rationem studiorum, quibus sermonis latini facultas paratur, exposuimus, & quo pacto tum ad cultum & ornatum lingue domesticæ; tum etiam ad eloquentiam parandam referri studium & ratio descendendi latini sermonis debeat & possit, docuimus: Jam deinceps ad græcorum fontes & oratorum $\mu\upsilon\epsilon\theta\eta\kappa\omega\pi$ nostræ disciplinæ alumnos deducemus, eosq; in hac classe $\sigma\upsilon\pi$ $\Theta\epsilon\omega$ græci sermonis intelligentia imbuemus, & rhetorico ornatu afficiendi orationem facultate armabimus. Communicandæ doctrinæ ratio & forma erit & servabitur eadem, quæ in classibus superioribus.

Grammaticam græcam hîc proponemus, in qua communibus utriusq; lingue prætermisissis, ea duntaxat succinctè tradantur, quæ græcæ propria sunt, & quæ ad linguam communẽ & faciliores, ac usu maxime tritas dialectos Atticam præcipue spectant, tum ne in primo quasi ingressu dialectorum varietate à spe & studio dulcissimæ & utilissimæ lingue pueros absterreamus, tum etiam quod illis perceptis, non tam difficile discendi cupidis futurum sit, quam jucundum reliqua vel proprio Marte addiscere. Interpretatio & expositio præceptorum in prælegendo, repetendo, recitando pronuntiando superioris prorsus erit similis.

Ad usum eorum exercendum in hac classe Parænesis Isocratis adhibebitur, in qua interpretanda itidem duplicibus vestigiis insistendum. Primum verbum ex verbo exprimetur, tum sententia latinè, & ut interpretatio ad confirmandam latini sermonis facultatem, superioribus ordinibus exantlato labore partam sit accommodata, pura phrasi & oratione latina ac eleganti reddetur; atq; etiam differentia
utriusq;

utriusq; linguæ simul ostendetur. *Analysis* quoq; ut in lati-
 na tum singulas, tum conjunctas voces ad sua quasq; præce-
 pta revocabitur: diligenterq; distinguet, quæ græcorum pro-
 pria, ab iis, quæ cum latinis habent communia. Talis de-
 niq; erit, ut ad genesin facilem ostendat viam, & phrasium
 bonarum ad quodcunq; institutum geneticôs accommodan-
 darum suppeditet copiam. Genesis græca etiam ad latinæ
 analogiã accedet & in primis rudimentaria, de qua in classe
 tertia, ut primùm voces ac phrasés resolutæ lectionis ad aliam
 sententiam sola flexione traducantur, tum etiam verbis mu-
 tatis alia similia substituuntur, quorum structura & com-
 positio propositæ imitationis similitudinem exprimat. Sed
 institutio græca exercitationem in latini sermonis puritate
 commodius continuabit triplici exercitiũ genere. Primum
 est versio lectionis in græco Auctore propositæ, & redditio
 latina, pura non solum, sed etiam phrasibus optimis & exqui-
 sitis elegans. Deinde domesticæ scriptionis argumentum la-
 tinè componendum proponetur nunc græcè, nunc verò, &
 sæpius quidem, vernaculè. Tertium exercitiũ genus erit stu-
 dium & lectio privata. Privatim itaq; discipuli legent *Épi-*
stolas Ciceronis, & *Terentii Comœdias*, earumq; lectionem
 ad confirmandam & augendam latini sermonis copiam suo
Marte accommodabunt. Hoc privatae lectionis exercitium
 ut fructuosius sit, constituetur certum tempus examinis, in
 quo præceptor discipulos de iis, quæ legerint, perconctetur; il-
 li rationem singulorum reddant.

Hactenus in prima arte generali legitimæ institutionis De Rhe-
 ratio exposita est: sequitur institutio Rhetorica. Sermonis torica.
 enim puri facultate ad prodendũ animi sensa discipulis instru-
 etis, consequens est ut & ἡ ἀρετὴ τοῦ λέγειν bene dicendi virtute
 eos instruamus. Nec metus est, ne dum Rhetorica docetur
 ac discitur, puri sermonis facultas negligatur & amittatur.
 Id enim, ut fiat primum ipsa præcepta Rhetoricæ latinè
 G pro-

proposita, latinis etiam exemplis illustrata; deinde auctores
practici non patiuntur. Fieri etiam non potest, ut institutio
Rhetorica recte instituatur, quin ad exercitationem gram-
maticam continuandam & virtutes bene loquendi confir-
mandas ac acuendas apposita sit. Praelectionem Rhetoricam
& inculcationem eadem moderabuntur leges, quae Gramma-
ticae in superioribus classibus. Interpretatio erit plana &
perspicua & minimè scrupulosa, qua praceptorum rhetoricus
eliciatur sensus, & usus monstratur exemplis rhetoricè resol-
vendis. Quovis enim odio digni mihi videntur praepetores,
qui dum vident argumentorum quorundam dialecticorum
voces adhiberi in definienda & distinguenda tropica vocum
modificatione, putant Rhetoricam doceri non posse, quin prius
argumentorum illorum doctrinam hinc excutiant, eamque disci-
pulis inculcent. Non secus ac si Grammatica interpret ex
Geometria mensurarum doctrinam arcessat in expositione
regulae: Adjectiva quantitatis regunt accusativum vel abla-
tivum certae mensurae. Item ex Dialectica integram doctrinam
Subjectorum & Adjunctorum; totius & partium in de-
claratione regulae: Substantivum subjecti vel totius servit ge-
nitivo vel ablativo adjuncti vel partis cum adjectivo laudis
vel vituperii. Item si ex Jurisprudencia doctrinam de gradi-
bus affinitatis inculcare velit in interpretatione regulae: Ad-
jectiva affinitatis genitivum vel dativum regunt, cum suffi-
ciat praceptorum Grammaticum sensum exprimi, & usum
ostendi in exemplis grammaticè hic non dialecticè, geometri-
cè vel juridicè resolvendis.

Exercitatio in Rhetorica sequitur: eamque tum arti tum in-
stitutioni in arte consentanea ac conformis, hoc est plane rhe-
torica: ad hanc adhibebitur Orator & Poeta, sed quia in hac
classe etiam graecam linguam discipulus didicit; latinis Aucto-
ribus adjungentur graeci. Praelegantur igitur orationes Cice-
ronis, & his adjungentur graecae Demosthenis: Poemata Ver-
gilis.

gūlū, quibus adjungentur carmina Phocylidis, Pythagoræ vel
Hesiodi. Horum prælectio quò ad continuationem facultatis
purè loquendi sit accommodatior: si quid occurrerit in lectio-
ne, quod singulari admonitione & annotatione grammatica,
ratione vel obscuritatis vel difficultatis vel singularitatis in-
digeat, sitq; ejusmodi, ut à discipulo sine præceptoris admini-
culo intelligi & excuti non possit, id præceptor ipse excutiet
& ad grammaticæ regulas revocabit, deq; eo inter legendum
discipulū admonebit. Hoc tantum abest ut Rhetoricam pro-
fessionem turpitudine afficiat, aut discipulorum industriam
impediat ac remoretur, ut etiam in primis exornet. Analy-
sis rhetorica est tum elocutionis tum actionis: Illa vocū sin-
gularum modificationem ostendit, fontes troporum aperien-
do, & vim ac virtutes singulares ostendendo; deinde in con-
junctorum figuratione immutationem orationis à nativo ha-
bitu demonstrat, neq; id tantum, sed etiam qua prudentia &
dexteritate virtutes tum troporum, tum figurarum ad sen-
sentiam sint accommodatæ, & quantā vim eloquendi, quan-
tum ponderis ratione etiam rerum subjectarum habeant, ex-
pendit. Actionis autē analysis virtutes actionis in concinna
vocis flexione, & decora gestuum moderatione ac dignitate
observat. Utramq; analysin rhetoricus interpres adhibebit.
Et elocutionis quidē virtutes in prælectione Ciceronis ac De-
mosthenis facillimè demonstrari possunt à præceptore non
somnia. & ex textu ad præcepta revocatæ, iisdem definirī
possunt. Accurata enim analysis docebit eos orationes suas iis-
dem eorundem troporum luminibus variare, insignibus figu-
rarum exornare, eidem occurrent tropi, qui in arte propo-
nuntur, eadem figura: Quo pacto verò vocis concinna flexio-
ne et jucunda modulatione, aures demulserint & detinuerint;
gestuum dignitate oculos in se converterint & pertraxerint,
affectibusq; animos auditorum commoverint & concusserint,
id nec verbis exprimi, nec calamo describi, multò minus præ-
ceptis certis comprehendī potuit.

Cum igitur hæc licet nobilissima & præstantissima artis pars in scriptis libris mortua jaceat, à præceptore excitanda est & animanda: Is proinde vocis gestuumque rationem ipse fingat & meditetur: voce gestuque, quam potest commodissime exprimat, puero ostendat, inculcet ac ante oculos depingat, Optimam ejus docendæ ac monstrandæ formam & rationem meditetur & excogitet. Ad hanc requiritur duplex conformatio. Prior qua exstruatur & deducatur ex præceptis illis generalibus quæ de vocis concinna flexione, intentione & remissione & gestuum dignitate de gestu totius corporis & partium lib. 2 Rhetoricæ proponuntur, & ad eadem præcepta, quoad ejus fieri poterit, planè conformetur. Altera qua præscribatur conformatio pronuntiationis tum ad rerum orationi subjectarum circumstantias, tum ad orationis figuris affectæ habitum. Ita ut accommodationem hanc totam moderentur non tantum rerum, quæ dicuntur, circumstantiæ, sed etiam in primis orationis figuris affectæ habitus: Est enim pronuntiatio elocutionis enunciatio. Ut autem totam hanc rem & artem Rhetoricæ actionis discipuli commodius percipiant, præceptorem non pudebit ore, voce & gestibus præire illis, & prælectam lectionem primò per partes, deinde totam pronuntiare coram discipulo. Genesis quoque utriusque partis virtutes exprimere conabitur.

Primò itaque discipuli ad exempli in resolutio auctore obvii imitationem similem sententiam tropis & figuris eloquantur, numerosè & apte ponant & contexant, voce gestuque similiter pronuncient: per se ipsos deinde quodvis aliud argumentum similiter exerceant atque tractent. Ut autem analysis omnes artis vires in oratione tam libera, quam soluta explorabit: ita etiam imitationis industria in utroque genere versabitur. Cæterum ut præceptor rhetoricus majores utilitatis fructus legitime instituendo præbeat discipulo, & dicendi facultatem acuat, duplici adhuc exercitio opus esse videtur. Pri-

Primó singulis mensibus lectionis in proposito auctore
 repetitio instituetur, ejusq; pronunciatio artificiosa, & adle-
 ges & virtutes actionis conformata à discipulo postulabitur.
 Sic etiam non abs re fuerit discipulum, qui recens ex gram-
 matica classe in hanc commigravit, rhetoricé excipere, quo
 simul ac in hunc ordinē ascribitur rationem certandi & sta-
 tionis locum tuendi cognoscat. Præscribatur igitur Epistola
 Ciceronis vel locus ex Vergilio, quem grammaticé probé in-
 telligat & edidicerit, ut in eo rhetoricé pronunciando tyroci-
 nium rhetoricum edat, sic fiet ut in quo auctore vidit antea
 virtutes Grammaticæ, in eodem hic cognitis etiam & per-
 spectis virtutibus rhetoricis suum ipse profectum intelligat,
 & majori alacritate & animo infracto graviores exercitio-
 rum labores & militiae litteratæ onera suscipiat & aggredia-
 tur. Quantó etiam melior dicendi magister & effector stylus
 est, tantó major ejus hinc acuendi & expoliendi cura sit ne-
 cesse est. Magistrum Rhetorica vult & requirit, qui non
 tantum artem calleat, & expedita bene dicendi facultate in-
 structus sit, sed etiam peritum cum aliis communicandi eam,
 qui animo sit placito, non tetrico: læto, non tristi: mente ex-
 porrecta & serena lingua & ore disertio: deniq; animo & cor-
 pore ad artem hanc docendam & exercendam composito.

CAPUT 15.

De Classe Sexta, quæ Dialectica.

Sermonis tum puri, tum ornati facultate os & linguam
 discipuli per quinque ordines hucusq; rité deducti imbuimus:
 restat igitur ut & rationis disciplina animum excolamus &
 differendi virtute armemus. Sapientiæ itaq; instrumentum di-
 scipulis in manus trademus: eoq; quomodo uti debeant, indi-
 cabimus. De Dialectica loquor, quam, teste Sturmio lib. 1.
 Classicarum Epistolarum, nemo sapiens unquam neglexit:
 sine qua nihil præclarum, & sempiternum, & quod genium

habere debeat, confici potest litterarum monumentum. Hæc reliquarum artium omnium dux atq; magistra moderatrix ac informatrix: Hæc cæteris omnibus lucem infert: illustrat quamlibet doctrinam; regit & moderatur omnes omnium hominum cogitationes, consilia & actiones: ars siquidem rationis est & ejus quidem recte adhibendæ eaq; utendis ratio autem ad omnes cogitationes consilia & actiones sese extendit. Hæc igitur illa ars est, qua aliena consilia judiciaq; expendimus & judicamus; nostra autem exequimur. Hæc deniq; cum sui ipsius, cum aliarum omnium & cujuslibet doctrine & tractationis recte informandæ disciplina & moderatrix quin etiam propugnatrix veri: falsi autem & errorum, quos destruit ac depellit, expultrix. Hæc illa rationis disciplina, mentis humane imago, quæ hoc etiam eximium habet quod eam astruat oportet, quicumq; destruere conatur. Hæc est cujus cognitione & scientia homines censentur & sunt docti, prudentes, cordati, ingeniosi, solertes, si ve à natura ingenerata sit ejusmodi sapientia ac acies ingenii, si ve studio, & industria parta & acquisita. Ut autem præstantissima est: sic etiam diabolus, lucem rationis & veritatis semper exosus, maxime eam & ita perturbavit, tantis erroribus involvit, tam reddidit intricatam, ut ex libris, quibus fuit descripta, nemo hactenus cognoscere & intelligere eam potuerit. Et quamvis omnes ferè omni ætate viri docti aggressi sint scribere dialecticam, & eam ad lucem revocare: nemo tamen quod voluit assecutus est & præstare potuit, sed irritus omnium fuit non sine singulari & admirando Dei consilio & permissione conatus: donec tandem ante annos ferè centum Rodolphus Agricola Frisius fraudes intelligere, & dolos detegere cepit, & Aristotelem summum quidem hominem sed hominem tamen fuisse demonstrans, qui & errare, & quem latere aliquid potuerit, Organum ejus suspectum multis reddidit, qua re ut multorum in se invidiam concitavit; ita etiam
mul-

multa eo nomine pertulit : quod ille coeperat, id deinceps La-
tomus, Omphalius & Sturmius ulterius deduxerunt. Qui-
bus tandem successit Petrus Ramus, qui cum bonam aeta-
tis partem in libris Organi Aristotelici cognoscendis, dispu-
tandis & meditandis consumpsisset; nec tamen sese in ulla
re talibus Logicis sapientiolem factum deprehendisset, atq;
etiam intellexisset se ad nullum in vita usum artes illas or-
gani Logici, quas tot sudoribus didicerat, posse referre &
traducere, incredibili accensus Logicæ veritatis investigan-
dæ & eruendæ desiderio, coepit $\sigma\omega\kappa\epsilon\alpha\tau\iota\zeta\eta\mu$, id est adhibita
libertate Philosophica Organum illud, & Aristotelis do-
ctrinam ad leges ab ipso Aristotele latas revocare & ex-
aminare: cumq; falsa multa deprehendisset, majore inflam-
matus ardore, magno animo sese in tenebras organicas de-
misit, & summo studio, indefesso labore, maximisq; conten-
tionibus, errores Aristotelis, ejusq; interpretum liberrimè
& constantissimè demonstravit: Dialecticam ex tenebris
eruit, & ab erroribus repurgavit ac vindicavit, eamq; duo-
bus complexus est libris, & tam succinctè ac perspicuè de-
scripsit, ut nemo in posterum vel de difficultate vel obscuri-
tate jure conqueri possit.

Dialecticæ igitur, ut à Ramo descripta est & exemplis
optimis illustrata, prima in hac classe prælectio erit. Huic
deinde subjicientur, ut & in classe Grammatica ac Rhetorica
factum est, auctores legitimæ imitationis.

Prælectio Dialecticæ & inculcatio etsi pro ratione ar-
tis majorem accuratorem & prudentiam requirit, iisdem
tamen legibus moderanda quibus grammaticæ & rhetoricæ.
Legum practicarum ex theorematis exstruendarum major
cura erit, ut illis erutis ac propositis tota doctrina artis aper-
tius indicet rectum & obliquum, virtutes & vitia & adver-
sus captiones discipuli fortius præmuniantur.

Ad

Ad usum & διὰ τῆς διὰ τῆς Dialecticæ deinceps plenius ostendendum & celebrandum cum discipulis, adhibemus Auctores tum græcos tum latinos & quidem binos, Oratorem & Poëtam. Sed & historicus adjungi his utiliter potest, itemq; Philosophus & Theologus. In his analysin exercemus. Sed hic cum aggredimur interpretationem logicam scripti longioris, analysi utimur tum generali tum particulari. Utriusq; ritè instituendæ legem P. R. his verbis complexus est: Quæstionem cerne; Inventionem aperi; iudicium demonstra.

Generali totum scriptum & opus arte Dialectica confectum & compositum intuemur & resolvimus.

Atq; hic duo præstari à nobis solent: Primò eruitur quæstio: Deinde ostenditur ejus dissertio.

Quæstionem hic intelligimus brevissimam & perspicuam rei vel etiam rerum dissertatione explicatarum comprehensionem ac propositionem bezgreiffung vnd fürstellung/ status etiam appellatur. Eruitur hoc ordine:

Primò ostenditur occasio auctori vel præbita, vel ab eo quæsitæ, captata & arrepta, vel etiam necessitate delata: ex illa elicitur summa seu argumentum, ut vocant, idq; proponitur designatione rerum quæ, & præcipuorum argumentorū quibus differuntur. Ex summa deinceps ipsa quæstio: ea quàm potest brevissimè & apertissimè concipitur, & auditoribus proponitur.

Dissertionem quæstionis ostendimus, primò aperiendo inventionem, id est, argumenta principalia indicando & monstrando, eaq; primùm ad locos unde sunt deprompta revocando, & vim tum logicam & generalem, id est, quam habent secundum genus argumenti, ad quod pertinent; tum realem, ut ita dicam, & specialem id est, rationem, quam habent quatenus in certa facultate ad quæstionis auctor, cujus opus re-rexizur, propositæ, & similium tractationem in qua vis dissertationis forma adhibentur excutiendo, & sic pondera ac vim, quam

quam habent tum parem ubiq, tum singularem in certis rebus
arguendis excutimus & demonstramus.

Secundò iudicium demonstrando, idq, duabus rationibus:
primò summa certa formula vel syllogismi vel axiomatis
axiomatumve systemate comprehensa proponitur. Deinde
ostenditur Methodus, qua contextatur corpus & Systema totius
dissertationis. Hanc aestimamus tum generatim ex partibus
scripti, quæ in omni fere scripto sunt duplicis rationis. Sunt
enim tum ἀναγωγία ut πρόοδος & ἐπισόδος Proœmi-
um & Epilogus, tum ipsius dissertationis corpus constituunt,
ut constitutio causæ, quam propositionem vulgò vocant, par-
titio etiam plerumq, & partium propositarum servato ordine,
quo propositæ sunt, tractatio: tum speciatim ex ordine rerum,
quæ in quolibet opere, quod resolvitur, differendo tractantur.
Sed hic omnes industrie neres vos intendat necesse est Magister
logicus, ut rectè revocet ordinem ad Methodi veræ præcepta
& leges (id quod à plerisq, negligitur interpretibus) & ratio-
nem generalitatis & specialitatis (ut ita dicam) ostendat, eamq,
congruere doceat cum generalibus Methodi legibus. Id etiam
si videtur difficile quibusdam, non tamen si ad artis cognitio-
nem accedat cognitio rerum, quæ tractantur, & facultatis ad
quàm pertinent (Hæc autem utraq, in logico interprete re-
quiritur.) Non tam erit difficilis hæc demonstratio, quàm uti-
lis & necessaria. Ad commodius intelligendum autem hunc
ordinem eumq, discipulis monstrandum, tum scopus auctoris &
dissertationis forma intuenda, tum sequentium ad præcedentia,
& horum ad illa affectio prudenter & cum iudicio expenden-
da ac consideranda est: Quin & de crypseos methodicæ pru-
dentia, si qua adhibeatur crypsis, auditores admonendi. Sic
ferè instituitur analysis generalis.

Particularis est, qua scriptum seu opus resolvitur per par-
tes. Hæc primò eodem modo instituitur, quo generalis. Accu-
ratè imprimis essentialia à crypticis distinguenda, tū quoq, par-
tibus

H

tibus

etibus iudicii sua cuiq; cryptica applicanda, atq; etiam sic detra-
ctis sententia illarum aperté & proprié exprimenda.

Deinde ὁμογένεια ostenditur, dum docetur quo pacto pars
illa, quæ resolvitur, ratione rerum subjectarum sit essentialis &
homogenea proposito, ejusq; proinde dissertationi harmonicé in-
seratur, tanquam conveniens corporis membrum.

Tertió Platonica illa ἀνάγκη λογογραφικὴ diligenter
spectabitur, in qua investiganda tantò diligentius sese explica-
bit studium & industria interpretis, quantò majorem lucem
operi recté ostensa adfert, & quantò majorem ad perspicuè in-
terpretandum vim habet, definitur autem & aestimatur pri-
mò ex legibus & ordine methodicæ successione, quatenus præ-
cedentibus specialior; sequentibus autem generalior est pars
illa, quæ resolvitur. Sed deinde λογογραφικὴ ἀνάγκη multò
apertior est etiam in rerum cognitione inter sese, quatenus
sunt ejusdem doctrinæ cognata capita, ejusdem capitis cogna-
tæ ac homogeneæ partes.

Quartò non tantum successio partium methodica & lo-
gographica; sed etiam ratio connexionis diligentissimè est ex-
pendenda, vinculum methodicæ successione vel syllogistica
consecutionis ostendendum: Illa est, qua precedentibus expo-
sitis succedunt sequentia; hæc qua ex antecedentibus conse-
quentia inferuntur, vel hæc, illis probandis subjiciuntur. Hic
etiam tum de digressionibus, si quæ occurrunt, item de pru-
denter adhibitis partium methodicarum trajectionibus audito-
res admonendi. De vinculo observando quod dixi, id intelligi
volo de vinculis, quibus in longioribus & ad Methodi legem
conformatis rerum explicationibus sequentia precedentibus
annectuntur & partes systematis methodici quasi colligantur,
cujusmodi vinculorum symbola esse particulas Grammaticas
diximus capite 13. & intelligo non tantum vincula axiomati-
ca, quorum tamen hic etiam singularis habenda est ratio præ-
sertim in longioribus connexionibus, discretionibus & disjun-
ctioni-

tionibus: sed etiam ea, quibus partes syllogisticae demonstra-
tionis & methodicae ac systematicae explicationis continentur,
coherent & colligantur. quod nisi fiat, tum ut scopis dissolutis
similis oratio, sic etiam monstrosa dissertio. Tam enim syllo-
gismorum & Methodi sua vincula sunt, quàm axiomatum.
Sed de his alibi commodior dicendi locus.

Si quis locus occurrat, in quo Grammaticum & Rhetori-
cum artificium, suo pte Marte intelligere non possit discipulus,
is enodandus & explicandus. Minimè enim hic artes præce-
dentes negligenda sunt, sed earum hic scientia & notitia con-
firmanda: quare in Dialecticis his exercitationibus etsi Gram-
maticas & Rhetoricas regulas non doceamus, tamen Gram-
matica & Rhetoricae orationis fructum retinemus.

Et hæc analysis Dialectica, quæ sic, uti diximus, instituta
& ad imitationem geneticam aditum patefaciet, & prudentiam
differendi valde acuet. Hujus enim exercitatione Ciceronis,
Demosthenis, Homeri, Vergilii, Platonis, aliorumq; præstan-
tissimorum auctorum Dialecticum ex argumento consilium,
ex dispositione judiciû, & ex ordine universæ collocationis com-
plexum resolvendo & interpretando eorum opera non solum
perpendimus & intelligimus, sed etiam planè assequimur.

Analysi subjicimus Genesin, eamq; deinceps assumimus, ut
virtutem Logicam integram habeamus, & celeritatem de quo-
libet themate differendi nobis comparemus, & discipulos do-
ceamus prudentiam Logicam; quam analysi Auctorum sunt
consecuti; genesiõs exercitatione scribendo, disputando, decla-
mando imitari & exprimere.

Genesis exercetur duplici via, scriptura & voce: ad illã per-
tinent exercitia stylis ad hanc disputationes, quæ tamen quo mi-
nus scribantur nihil impedit. Ad stylis seu scriptionis exercita-
tionem seu genesin pertinent themata duplicia, nempe imitatio-
nis astrictioris, deinde liberioris tractationis, & quidè alterna-
tim nunc in prosa, nunc in carmine. Logicè ita tractatû thema

præceptori exhibebitur corrigendum; correctum ab ipso etiam
 discipulo pronunciabitur, & vel de scripto, vel memoriter reci-
 tabitur. Ad imitandum exemplum similis argumenti disci-
 pulis proponitur, cum quod auctor speciatim tractavit, nos ge-
 neratim disputandum proponimus, & quæstionem ab hypothese
 ad thesin transferimus & revocamus. Ad accuratius compo-
 nendum & tractandum imitationis exemplum, opus jam re-
 solutum ad imitandum nobis proponimus, respicimus ad ana-
 lysin generalem, & ejus singula capita, totius τεχνήματα &
 constitutionem diligenter intuemur, ejus ideam animo concipi-
 mus. Ex occasione arripimus similem vel præbitam nobis si-
 milem effingimus. Summam tractationis informandæ animo
 concipimus. Statum ad similitudinem status alieni rectè consti-
 tuimus: similia argumenta excogitamus, pronunciatorum spe-
 cies cum speciebus, argumentationum formas cum formis, me-
 thodum constituendi cum methodo constituti ab aliis systematis
 conferimus: Partes & quasi capita disputationis nobis præfi-
 gimus capitibus propositæ ac resolutæ disputationis similia.
 Et sic analysi monstratam ingredimur viam, iisdemq; vestigiis
 insistimus, & quicquid analysis monstravit, ad usum & imita-
 tionem, & nostrum institutum accommodamus & deducimus.
 Atq; etiam in liberioris thematis tractatione id non negligen-
 dum: Nulla ferè politica quæstio, cujus similem non deciderit
 Cicero, Demosthenes: Nulla philosophica, cujus similis non oc-
 curat in Philosophorum libris: Nulla res theologica, cujus tra-
 ctatæ ac expositæ exemplum & idea non sit in Biblicis, Pro-
 phetarum & Apostolorum scriptis & libris.

Imitationis exercitio subjicimus thema liberioris tractatio-
 nis, ut discipuli paulatim etiam remoto imitationis exemplo
 Dialecticæ artis virtutes omnes per seipsos in libera & ad ar-
 bitrium proposita quæstione tractent & excolant, omnesq; labo-
 ris, vigilantie, industriæ & studii nervos intendant, ut inde
 artis Dialecticæ fructum consequantur. Omnes hic in ventionis

artes

artes excitare, nullum argumentum intentatum relinquere, quæstionem per omnia argumentorum genera deducere, argumenta ipsa non uno, sed vario modo proponere & concludere, secundum leges disponere nostros docemus, eorumq; industriam ita o'p' Deo excitamus & acuímus, ut non tantum assequi, sed vincere etiam tandem possint præstantium Auctorum in argumento consilium, in syllogismo iudicium, in Methodo prudentiam. In hac etiam classe inchoatur exercitium disputationis. Est enim genesis quoq; logica, quando proponuntur theses, binis discipulis disputandæ, quorum alter defendat, alter evertat. Hoc disputationis exercitium ad parandam eloquentiam & expeditam loquendi & animi sensa perspicuè prodendi facultatem suppeditat, acuit ingenium, excitat vegetam mentis differendi vim, subtiles reddit & acutos disputatores. Moderandum est duplici prudentia. Prima est de materia disputationis seu de apparatu. Altera de disputandi modo & decoro, in ipso conflictu utrinq; servando.

De utraq; præclarè magnus ille Sturmius in libro de ludis litterariis rectè aperiendis & vir doctissimus D. R. Goclenius. De materia hæc fere leges sunt.

Theses disputabiles sunt & ejusmodi, quæ disputari possunt in utramq; partem, de ejusmodi rebus, quæ in contrarias partes veri similes sententias habeant, id quod non tantum improbabilibus fieri potest, sed necessaria quoq; pronunciata sæpe adversarias opiniones habent, quibus videantur infirmari. Non igitur ad disputandum proponendæ quæstiones vel sensu manifestæ, vel tales ut sensu refutari possint. Qualis illa: sit nix alba & similes. Sint de rebus honestis, arduis, gravibus vel rethnosophicis vel biochresticis; nunquam absurda vel bonis moribus contraria, & pietati vel societati civili repugnancia, vel etiam ludicra de rebus nullius momenti themata proponi debent. Sint perspicuæ & faciles theses, non problemata, quorum explicatio superat captum discipulorum, accuratè informen-

ur & constituantur præsertim ea, quæ accuracionem requi-
rant, ut si sint definitiones & distributiones. Hujusmodi que-
stiones etiam extra Scholam in politicis & Ecclesiasticis nego-
tiis sese offerunt. Hæ theses proponuntur à respondente. Ad
apparatum deinde pertinet, ut opponens argumento se instruat
ad oppugnandam thesin idoneo & ejusmodi, quod ratiocinatio-
ne probabili ad subvertendam thesin possit accommodari, &
objectiones suas formis syllogisticis comprehendat.

Hæc de materia & apparatu: decorum deinde servatur
utrinq; & consistit in accommodatione hujus concertationis
scholasticæ non tantum ad confirmandam & roborandam
Grammaticæ locutionis, & Rhetoricæ dictionis facultatem, &
Dialecticæ dissertationis prudentiam: sed etiam ad consequen-
dum hoc progymnasmate scholastico politicam prudentiam.
Cura igitur præceptoris disputationem moderantis, hic prima
est, ut discipuli purè & eleganter loquantur. Objectiones &
solutiones proferant & eloquantur jucundo & auditoribus gra-
to sermone, non barbaro, non horrido non inculto: gestuum
etiam adhibeant dignitatem, vitent ut clamores insolentes; sic
indecoras gesticulationes.

Secundò decorum consistit in legitima conformatione ob-
jectionis & responsionis ac solutionis in ipso conflictu. Hæc
duplex. Primò conformantur ad artem disserendi, deinde ad
reliquas etiam leges de decoro philosophico disputationum. De
his videantur D. Sturmius & Goclenius. Et ad decorum
maximè pertinet, ut ad verum & honestum finem & scopum
referantur disputationes, quæ est veritatis investigatio, & in-
vestigatæ confirmatio, nō victoria dolo parta, absit δόξα & οἶα
& δόξα καὶ οἶα captatæ opinionis & scientiæ, insanus rumor
gloriæ. Ramus in animadversionibus ac passim in scholis.

Deinde etiam ex Philosophorum lege & sententia in
concertationibus Philosophicis opus est in primis moderatione
& coercitione à decoro abripere solitorum affectuum. Sit pla-
cida

quida disputatio, placidi ac sedati congressus, non turbulenti,
non clamosi. Objectiones & solutiones sint breves, accuratae,
prudentes, considerate instructae. Haec si in conflictu hoc pro-
gymnastico ita fuerint observata, tum à respondente, tum ab
objiciente, (ut autem observentur curabit praeses, vel quicumque
moderatur disputationem) fieri non potest, quin instruat di-
scipulos & praeparet ad prudentiam politicam, qua instructi
possint aliquando ad curationes & negotia publica adhiberi,
Ecclesiasticas & civiles controversias bonis rationibus, ac sa-
pientibus consiliis prudenter, graviter, constanter & placide
dirimere ac sedare, & partes contendentes reconciliare ac in
gratiam reducere. Et haec sunt ejusmodi disputationes, quibus &
sepe & suos discipulos exercuerunt praestantissimi quique vete-
rum Philosophorum, Aristoteles, Plato, & uberrimos ac
maximos utilitatis fructus tum ipsi perceperunt, tum discipu-
lis praebuerunt. Atque haec forma & ratio $\delta\iota\alpha\lambda\epsilon\kappa\tau\iota\kappa\alpha$ dia-
lectica, qua ita legitime instituti & exercitati discipuli, de quo-
libet themate differendi prudentiam consequentur.

In hac etiam classe doceri & praelegi poterit Arithmetica
& à prandio certis diebus in ea discipuli institui. In illa cernent
& intuebuntur exemplum dissertationis Dialecticae perfectioris
& accuratioris in artis perfecta Methodo descriptae systema-
te, cujus constitutionis ad artem revocatio, dici non potest,
quantum momenti habeat ad usum Dialectices perspicendum
& discendum.

CAPUT 16.

De Septima classe, quae su-
prema.

Jam

JAM per sex necessariae auscultationis, & in artibus dicendi institutionis ordines & gradus discipulum deducendi rationem & formam descripsimus, & in propædeumatis detinui-
mus: restat nunc, ut cum ad supremam classem promotum, in ipsius πρῶτης sacrarium admittamus, & in supremo tandem honorum, quos nostra schola confert, gradu collochemus.

In præcedentibus classibus instrumento illo, quo res omnes sermone & ratione tractabiles, cuncta, inquam pertractari possunt, utendi rationem didicit & armis litteratæ militiæ ferendis assuevit, nec dubitamus, quin si bene natus, & ad litteras aptus ad nos à parentibus missus accesserit, & instrumentum hoc acri contentione & ἀλομαθίας ac ἀλοπονίας virtute omnibus superatis difficultatibus suum fecerit, jam arma non tantum ferre, sed uti etiam vis possit hoc est, jam consecutus sit perfectam & expeditissimam facultatem trium illarum artium communium usum ad res omnes tractandas & docendas prudentissimè conjungendi, & questionem quamlibet de qualibet re propositam, locutione grammatica & eleganti: dictione rhetorica & ornamentis insigni, disertione dialectica prudenti, id est, argumento stabili, enunciatione certa, syllogismo constanti, Methodo distincta & illustri dexterrimè & expeditissimè tractandi & explicandi. Dimissis igitur artibus generalibus, quibus ad rerum cognitionem discipuli præparantur, quibusq; res ritè & ordine cognoscendi, cognitæ prudenter tractandi ratio & doctrina continetur, ad eas progredimur quibus comprehenduntur res cognoscendæ & in quibus hæcenus expositæ exerceri utilissimè possint suppeditentq; illarum viva exempla, sed exempla doctrinæ liberalioris artificiosè & τεχνολογικῶς expositæ, certis artium speciebus, definitionibus ac distributionibus methodicè dispositis, & sic artificioso systemate comprehensæ ac descriptæ, cujusmodi rerum ac doctrinarum exempla non suppeditant Poetæ & Oratores, nec enim illi doctrinam Philosophicam methodicè tractant ac proponunt. licet
multa

multa hinc inde ex variis facultatibus suis technematis in-
ferant. Et hæc etiam caussa est cur artes philosophicas & partes
Philosophiæ docere necessarium putemus in schola classica, quæ
alioqui propter artes logicas potissimum est instituta, ne scili-
cet instrumento tantum rerum tractandarum donatos, sed eti-
am rerum doctrina imbutos & solidiore scientia ornatos ex
schola discipulos dimittamus. Sed hic eandem illam artium ge-
neralium, præcipuè Dialecticæ exercitationem in toto Philoso-
phiæ reliquæ studio perpetuam tenemus: imò animamus & ex-
citamus; quæstiones & sententias rerum ex argumentis & ar-
gumentationibus ponderamus, quàm vera, quàm commoda
præcipiantur, hæc eadem libra perpendimus. Quin etiam Dia-
lecticæ præsidio ad religionis veritatem pro virili revocamus.
Et hic primò prælectionem Arithmeticæ & Theologiæ in
præcedente classe inchoatam, quoad ejus fieri potest, perfici-
mus. Deinde etiam prælegimus Ethicam, Physicam, & ex
astrologia Sphæram proponimus. Arithmetices primum præ-
cepta absolutiora proponuntur: perdocebitur quicquid ad eam
artem pertinet, praxis sedulo exercebitur. Prælectionem sic in-
stituendam ducimus, ut primo præcepta & regulæ facile intel-
ligantur, & explicentur: Usus deinde omni exercitatione ana-
lyseos & geneleos exquiratur, exempla apposita examinentur,
alia fiant & effingantur. Physicam etiam docemus sed Chri-
stianam, id est, ab erroribus & commentis Aristotelis & alio-
rum repurgatam. Technologiam Physicam ex bonis auctori-
bus proponere non inutile putamus. Hanc illustrabimus in-
terpretatione librorum physicorum explicatu utilium. Et
quantum ratio scholæ ferre potuerit ex maxima præstantissi-
morum Auctorum copia clarissimos quosq; harum partium
Philosophiæ affines & propinquos seligemus, & his partibus
Philosophiæ plenius illustrandis adjungemus. Et in his Aucto-
ribus etiam analysin exercemus & quidem hoc ferè modo.
Primò revocabimus propositos illorum libros vel locos ex li-
bris

bris ad regulas ac præcepta, ac veram doctrinam, & quod verum, id retinebimus & ad nostrum usum accommodabimus; quod autem falsum id lege veritatis Arithmeticae Physicae & Astrologiae exterminabimus & recusabimus. Et sic quidem scripta Philosophorum hac analytica excussione illustrabimus, doctrinam autem veram horum exemplis confirmabimus. Ethicam pueris vel ex biblica doctrina tradimus, vel ex ea deductam peculiariq; tractatu comprehensam, & ad civilis vitae institutionem accommodatam proponimus. Et ut hic retineatur etiam puri ornatiq; sermonis exercitium, & eloquentiae fructus augeatur, phrasin qua proponimus, mutuamur ab Auctoribus Ethnicis, res ex Theologia depromentes.

Theologiam etiam docemus, præter Catechesin proponentes Technologiam aliquã Theologicam, capita religionis Christianae methodicè & technologicè digesta, & ordinem meditatur locorum communium theologicorum, quem eundem esse debere censemus cum ordine technologico & catechetico. Deinde libros & scripta biblica interpretamur, ad eamq; adhibemus analysin quandam Theologicam, cujus, quae apud nos servatur, eadem ferè ratio & idem ordo qui & Logicae. Est autem duplex, Theorica & Practica: Illa doctrinae theologiae intelligentiam & cognitionem spectat; hæc institutionem ad vitæ pietatem. Theoricam sic ferè instituimus.

Totum scriptum quod resolvitur intuemur, doctrinam & doctrinae capita expendimus, conferimus accurata consideratione cum locis theologicis, cum technologia, cum ejus partibus & capitibus. Et sic tandem doctrinam quam analysis Logicae ostendit, theologicè ponderatã & in partes distinctam ad technologicam ac catechetica doctrinam referimus, Harmonicam symphoniam Technologiae & Catecheseos cum biblicis scriptis ostendimus, & hæc collatio & locorum biblicorum ad capita doctrinae Catecheticae, & locos communes revocatio duplicem habet utilitatem; Primò Catechetica & Technologica do-

ea doctrina auctoritate & testimoniis blyblicis confirmatur, & ejus veritas demonstratur. Deinde vicissim testimonia & scripta blybica illustrantur, ita ut veré huc quadret illud: Alterius sic altera poscit opem res, & conjurat amicé.

Et hæc quidem generalis theologica Analysis.

In particulari analysi eandem ingredimur viam: sed hic etiã ἀναγκην λογογεωμετριαν & ejus rationem theologicé ostendimus, virtutes argumentorum Theologicas excutimus, & quæ argumenta quibus doctrina Theologica capitibus, & religionis articulis tractandis, & confirmandis conveniunt secundum Prophetarum & Apostolorum, & ipsius Christi institutum admonemus. Hoc enim ad legitimæ imitationis rationem hic maximé conducit. Pulcherrimum enim hic cenetur cum Prophetis & Apostolis, cum Christo & Spiritu sancto theologitari, & illorum more de sacris doctrinae capitibus differere, ita etiam ut satius sit illorū argumentis uti, & ea arte excollere & ad doctrinam perspicuè tradendam applicare, quam nova excogitare & comminisci. Vim illorum arte ponderare licet, deducere etiam quandoq; ex illis alia permittitur, sed nisi sobria & modesta ratiocinatione, & quæ illis planè consentanea sint. De Phrasi etiam Grammatica, cum ita res tulerit, admoneamus, hebraismos, græcismos indicamus, troporum item vim & énergeiam perpendimus. Sed in primis totam nostrā interpretationem revocamus ad analogiam fidei, ab illa ne tantillum deflectimus.

Practica analysi monstramus rationem propositam, & exercitatione analytica observatam doctrinam ad vitæ sanctimoniam, & pios usus revocandi & traducendi.

Et hæc analysi theologica nostra est, huic subjicitur Genesis, hæc est, descriptionis & institutionis vice.

I a

Scri-

Scriptiois, cum Auctores sacros scribendo dicendo, con-
cionando imitamur, eorumq; in docendo & differendo de rebus
ad religionem pertinentibus vestigiis insistimus.

Institutionis vitæ, cum ex doctrina vitæ regulas elicimus,
eum in pios usus convertimus, ad fidei confirmationem, ad fi-
ducia & fortitudinis, quæ superat quicquid malorum ingeri-
tur: ad spei & patientiæ excitationem, deniq; ad profectum
continuum in vera Dei notitia & pietate omnia conferimus.

Et hæc ratio institutionis, quæ in suprema classe vigeat, in
qua cum ea, quæ superioribus classibus sunt proposita, non ab-
jiciamus, non negligamus. Sed fructum retineamus puræ
locutionis, ornatæ dictionis, & dialecticæ dissertationis, etsi regu-
las artium non tradamus: In toto hoc Philosophico curriculo
exercitationem quoq; Grammaticam, rhetoricam & dialecti-
cam perpetuò excitamus & animamus, ideoq; de thematis &
questionibus Philosophicis, Physicis, Ethicis, Theologicis de-
clamare, conscribere orationes & carmina, eaq; ad leges artium
generalium conformare, scribere & pronunciare, & sic virtu-
tes earum artium exercere discipulos jubemus, nisi enim Phi-
losophandi rationem artes illæ moderentur sed omni cura puræ
loquendi, ornatæ dicendi, prudenter & ordine differendi abje-
cta, in altercationes de regulis Philosophicis conjiciatur puer
tandem Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ studiis longa obli-
vione deletis, pro puro & nitido sermone barbarissimos & so-
læcissimos faciet, idq; quod sibi queritur Ovidius apud Getas &
Sarmatas agenti contigisse, sentiet, meritoq; de se ipso dicet.

Ipse mihi videor jam didicisse latinè,

Jam didici geticè Sarmaticèq; loqui.

Si quis in hac ipsum terra posuisset Homerum,

Esset, crede mihi, factus & ipse Geta.

PERO.
RATIO.

Atq; hætenus tradendarum artium humanitatis legiti-
mam (sic enim rationibus certis adducti, & experientia edocti
statuimus) formam descripsimus, quam sequimur, quam pro-
bamus,

bamus, quamq̄, etiamsi nondum plane tenemus; probandam
tamen & sequendam putamus, atq; etiam in Schola nostra, id
est, ea in qua Deus Opt. Max. suo consilio & divina volun-
tate studiorum puerilium ministros nos constitui voluit, te-
nendam & servandam prescribemus. Scholæ, inquam, nostræ
curæ commissæ (aliis enim absit ut prescribere quicquam vel
conemur vel cogitemus) disciplinam exposuimus. Cujus insti-
tutionis, ut summatim, quæ modo prolixius exposuimus, & bre-
viter comprehendamus, hæc est ratio.

Artes distinctis temporibus distincte docemus, fructus
tamen omnium paulatim, ut maturescunt, ad usum eloquentiæ
& prudentiæ, ad usum, inquam, quemlibet earum in vita ne-
cessarium conjungimus & convertimus, & convertere nostros
& conjungere docemus. Usum primæ artis cum secundæ artis
usu itemq; primæ & secundæ usum cum usu tertiæ, eodemq; mo-
do semper antecedentium usum cum insequentium usu conjun-
gimus, unumq; tandem eloquentiæ & Philosophiæ generalem
& communem usum ex multis specialibus & præcipuis effici-
mus. In agricultura sunt segetes, sunt arbores, sunt vites, sunt
armenta, pecudes, quæ suum quæq; cultum separatim requi-
runt; relictis in agro calamis, frumenta domum comportamus;
arboribus in horto relictis, poma domum comportamus; peco-
ribus & armentis in pascuo relictis, lactis copiam & vellera
domum comportamus: eorum omnium simul usum ad corpus
pascendum, alendum, vestiendum conjungimus: Ita fit in ani-
morum cultura: variæ sunt ejus partes, variis modis exercen-
dæ. Grammaticam artem quatuor primis classibus explica-
mus: iisdem quatuor classibus divisim horis etiam Grammaticæ
usum, Grammaticas Poetarum & Oratorum virtutes excu-
tiendo, usurpando, loquendo & quidvis scribendo exercemus:
classe quinta Rhetoricam artem explicamus, eadem classe di-
visim horis, rhetoricas poetarum & oratorum virtutes exqui-
rendo, imitando, eloquendo, quidvis & pronunciando exerce-
mus.

mus. Classe sexta Dialecticam explicamus; eadem classe Dialecticas Poetarum & Oratorum atq; etiam Philosophorum virtutes exquirendo, excutiendo, differendo & quamlibet questionem explicando exercemus. Philosophiae libros & praecepta suprema classe explicamus: eadem classe Logicum logicarum artium fructum retinendo Naturalis & Moralis ipsiusq; adeo Theologiae usum & clariorem sensum, Poetis, Oratoribus, Philosophis, & Theologis enarrandis & Philosophicis ac Theologicis virtutibus ad proprium Philosophiae & Theologiae locum referendis, imitandis, & quibusvis aliis meditando, scribendis, discendis excitamus & exercemus: eodemq; tempore mentis prudentiam & linguae eloquentiam conjunctis vigiliis laboribus studiis exquirimus; & relictis in Schola tot tantarumq; artium praeceptis & regulis, fructum in forum, in Senatum, in concionem populi, in omnem hominum conventum, id est, domum comportamus. Grammaticam, Rhetoricam Philosophiamq; totam in Schola relinquimus, & regularum jam nihil egemus, puritatem orationis & ornatum, rationis acumen, numerandi, metiendi peritiam, caeli & mundi universi notitiam, ad animum formandum, erudiendum, componendum, ornandum, perficiendum conjungimus & copulamus.

Hujusmodi institutionis forma institutus & per septem ordines ritè, hoc est ita ut ab infima inchoando, & per intermedias transeundo, ad supremam usq; classem assidua studiorum continuatione, & legitima contentione pervenerit, ad quamlibet facultatem adeundam idoneus esse discipulus, & cum magno studiorum fructu in Academiam celebriorem proficisci poterit, Ubi plenior totius Philosophiae fructum consequatur, quod etiam facili negotio praestabit, si in omnibus ordinibus ritè certaverit rectè exercitatus & probè emeritus fuerit. Quod si quis citius ex hac Pædagogica palæstra se subduxerit, eum, quia academicè certare, in acie consistere non potest, hastam tandem non sine magna ignominia & dedecore abjicere exempla mult.

multorum, & res ipsa docebit. Ceterum si qui sunt, quibus
animus non est ad Academiam proficisci, aut per facultates
non licet ad ἐγκυκλοπαιδείας culmen conscendere, aliudq; id-
circo vitæ genus sibi ingrediendum statuunt: his ego suaserim,
ut hoc artium studium, quod septem classium spaciis complecti-
mur, prius decurrant, quàm aliis rebus agendis sese tradant,
nec illos pudeat ante vigesimum ætatis annum è Scholis, nisi
singularis aliqua necessitas, status & conditio aliter tulerit,
non exire. Ante enim id tempus & matrimonia, ut ait Stur-
mius lib. de litter. lud. red. aper. cap. 12 et publicæ curationes in-
utiles sunt, sed hoc curriculum litterarum palæstræ & ludo
aptissimum est. Sed ut tandem aliquando concludamus, hæc
est Scholastica institutio, quam nobis tenendam & sequendam
putamus, quod eam summi fructus commendent, artium ve-
ritas & perspicuitas & ὁ τάξις ac ordo bonus tum ubiq;, tum
in tradendis artibus accuratè servandus exposcat, & quam ex-
optatissima temporum etiam compendia expectant. Si cui displic-
uerit hæc institutionis forma, fore autem multos, quibus di-
spliceat, non dubitamus, is sciat velim non sibi hæc, sed nobis &
nostræ Scholæ, ut antea etiam diximus, esse scripta. Non, in-
quam, in eum finem, ut ab iis, quibus non probabitur, sed ut in
Schola, quam nos administramus, & ab iis etiam, quibus eam
fortè eadem rationes & commoda, quæ nobis, commendarint,
servetur, eam à nobis esse scriptam. Iniquorum & vesanorum
vituperatorum iudicia nihil pertimescimus, nō enim nostra hæc
sunt quæ proferimus, sed aliorum ex quibus ea descripsimus,
quos tantum abest, ut suo velimus defraudare honore, ut inge-
nuè fateamur, paucis admodum exceptis, nihil hic nostrum
esse, nihil nos vindicare nobis præter ordinem. Illos in primis
magno animo contemnimus, eorumq; iudicia nihil facimus, qui
aut malè sunt instituti in pueritia, aut si bene, quo pacto insti-
tuti sunt, non possunt recordari. Illos etiam non metuimus, qui-
bus solenne est, alios censoria quadam virgula notare eorumq; la-
bores ex alto honoris fastigio despiciere, & ut est apud Horatiū:
Quæ

Qui nil rectum, nisi quod placuit sibi ducunt:
Et quia turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.

Majorem suæ existimationis rationem habent, quam publi-
ci Scholarum commodi: Sed hos missos facimus.

TU Deus Opt. Max. qui in hominum animis ar-
tium, præcipuè logicæ illius lucem accendisti, &
singulari erga genus humanum amore omni ætate
viros præstantes, quorum industria excolerentur, ex-
citasti, exsuscita mentes nostras ad laudem gloriamq̃
nominis tui ex tam præstantibus donis, quibus à te
donati dotatiq̃ sumus cognoscendam & piè cele-
brandam. Te oramus & obsecramus ut excites in no-
bis tota vita mentem rectam perpetuamq̃ diligen-
tiam & industriam artes illas ritè excolendi, earumq̃
utili ac salutari cognitione juventutem nostræ fidei
commissam imbuendi. Tibi ô DEUS tuæq̃ paternæ
providentiæ Scholam, in qua nos ministros stu-
diorum puerilium constitui voluisti, commenda-
mus, tu eam conserva, tu Spiritu tuo nobis ad sis &
vires suppedites ad ea, quæ muneris nostri ratio po-
stulat, explendum, & discipulos non artium tantum,
sed etiam salutari tuæ cælestis doctrinæ cognitione
imbuendum, idq̃ ad Ecclesiæ propagationem,
ad tui nominis gloriam & multorum
hominum salutem, Amen.

Errata sic corrigenda.

A. 2. p. 1. v. 2. age, ac boni. A. 3. pag. 1. v. 4. in ea. A. 4. p. 2.
quædam. B. 1. p. 2. v. ult. et in d. v. n. a. l. i. x. a. j. B. 2. p. 2. v. 3.
quæ. Ead. pag. v. 23. muneris. B. 4. p. 2. v. 20. appositum.
E. v. 23. quamvis. D. 4. p. 1. v. 29. deducantur. E. 4.
p. 2. v. 21. & 22. singulas. F. 2. p. 2. v. 14. ediscebant.
G. 4. p. 2. v. 31. auctori. H. 1. p. 2. v. 1. hic. H. 3. p. 2. v. 29.
captatio. Eod. v. amor. I. 2. p. 2. v. 5. eam. ead. p. v. 24. & 25.
barbarismos & solocismos. J. 4. p. 2. v. 19. hanc. & seq. scriptam.
Ead. pag. v. 30. nibili. Reliqua æquus lector suo Marte corriget.







ga 1469

ULB Halle 3
004 321 219



mc





ΕΥΠΑΙΔΕΥΣΙΑ SCHOLASTICA.
FORMA ET RATIO
INSTITUTIONIS SCHO-
LASTICAE EX D. J. STURMII, AC P.
Rami præcipue scriptis collecta, & primo generatim deli-
neata; deinde Scholæ Bentheimiæ, quæ est Steinfurti,
septem classibus distinctæ accommodata.

Per H. H. Scholæ ejusdem Rectorem.

Cum præfatione Sturmiana ad
Lectorem.

Proverb. 22. vers. 6.

*Instituendus puer in ea vivendi ratione, à qua etiam cum
senuerit, non recedat.*

Demosth.

*Ορθῶς παιδὸν ἔσσο καὶ γυμνάσοι τῆρ δianoισιν μόνῃ
φιλοσοφία δύναται.*

Idem.

Πᾶσα παιδεία δι' ἐπισήμης καὶ μελέτης συνέστηκε.



LEMGOVIAE,
Per Hæredes Conradi Grotheni.
c1o. Io. xci.

